



**Medicorum ac philosophorum facile principis Theophrasti  
Paracelsi Eremitae Libri V. de Vita longa, incognitarum rerum  
& hucusque à nemine tractatarum refertissimi,**

<https://hdl.handle.net/1874/451836>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell**  
**Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnde
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection**  
**Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>


Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

Rariora

O. OCT.

101







R

C

Medici

Octavo n°. 101.

X - 2. A

# MEDICO-

RVM AC PHILOSO-

P HORVM FACILE PRINCIPIS

Theophrasti Paracelsi Eremitæ libri v.  
de Vita longa, incognitarum re-  
rum, & hucusque à nemine  
tractatarum refertis-  
simi,

*Eadem Pernam.*

VNA CVM COMMENDATORIA


Valentij de Retijs, & Adami à Bodenstein, dedica-  
toria Epistola, quibus Theophrasti singularis &  
excellens eruditio commendatur.

Aνέχο καὶ αὐτέχο.



BASILEAE

Apud Petrum Pernam.



# GENERE, DOCTRIN

NA AC PRUDENTIA AMPLIS,  
fimo uiro, illustrissimi Principis Caroli, Marchionis in  
Baden & Hochperg, etc. à consilijs: Et Præfatio in Ba-  
denuueyler Ludouico Vuolphango ab Hapsberg  
Domino & Fratri obseruando, uitam pro-  
speram & longam precatur Theo-  
phrasti deditissimus Adam  
à Bodenstein.



AT VRA PRAESTAN-  
tior, præstantissime uir,  
euidenter nos docet, sem-  
per publica bona anteponenda es-  
se priuatis: nam I E H O V A omni-  
bus creaturis simul benefacit: So-  
lem communicat bonis & malis, iu-  
betq; nos aliorum salutem æquè  
quærere quam nostram: Ac recta  
ratio commoda latè patentia, plu-  
ribus utilia & maiora, angustiori-  
bus, proprijs ac minoribus suadet  
præferenda, quod uniuersi potius

EPISTOLA

sit habenda cura, quām unius partis. Vnde p̄æclarè scriptum est à Platone (ait Cicero) Non nobis solum nati sumus, sed ortus nostri partem patria uendicat, partem amici, atq; (ut placet Stoicis) Quæ in terris gignuntur ad usum hominū omnia creari, HOMINES AVENT HOMINVM CAVSA ESSE GENERATOS, ut ipsi inter se alij alijs prodesse possint. In hoc naturam ducem debemus sequi, & communes utilitates in medium adferre mutatione officiorum, dando accipiēdoꝝ, Tum artibus, tum opera, tum facultatibus deuincire hominum inter homines societatē: Dissoluuntur enim ac intereunt cito, infirma & male cohærētia: Concordiae uerò, & constanti firmæꝝ partium cohærētiæ stabilitas & immortalitas coniunctæ sunt, quod p̄æ-

COMMENDAT.

præstantiss. doctor Theophrastus Paracelsus lumine diuino miris modis prælucente, semper in animo uoluit, ac obseruauit, qui talen tum sibi à Domino traditum, non tanquā inutilis minister terra subhumauit, uerū summa diligentia, ut frugi hominem decet, ad usum elocauit, ac Domino lucratus est innumeros homines, quos non solum conseruauit, ne sæuo trade-rentur orco, sed etiam occultiori quadam medicina diuinitus ipsi in hunc usum data, tum corpora, tum animos, firmiora, agiliora & puriora effecit, eaçq; in diuinam quasi naturam transformauit. Artem suam omnibus obtulit, quam pauci receperunt, quòd tempus nondum foret, quemadmodum propria eius scripta testantur. Nunc uero multis & uarijs libris manifestissimè

EPISTOLA

explicata in lucem prodit. Quan-  
uis nonnulli qui in stercoribus o-  
perantur, & in ipsis tanquam galli  
fuescēt gaudentes conabuntur eam  
impedire ac supprimere, tamen i-  
storum conatus erunt frustranei,  
& uani, præterquam apud eos, in  
quibus peccatum siue confusio ni-  
mis prædominatur, quæ lucem o-  
dit: nam æterna lux uult medici-  
nam animæ & corporis cunctis ho-  
minibus offerri, quo uniuersis suc-  
curratur, ne peccatum præualeat  
gratiæ. Hoc ut perficiatur, & ego  
excitatussum qui hoc tempore nul-  
lam rem uideo, qua melius publica  
commoda possim promouere,  
quam si libros Theophrasti, ingen-  
tes thesauros omnibus communi-  
cem: artem factis exprimem, quam  
certissimam & uerissimam esse ab  
ipsoque Deo traditam in usus homi-  
num

## COMMENDAT.

num quotidie experior. Spero etiam paulatim magis, ac magis animos mortalium expurgatum iri, ac illuminatū, ut obuijs ulnis hoc bonū amplectantur, suisq; rebus bene consulant, ac peccati effectus imminuant, cuius rei argumentum certum est, quod passim multi docti & syncerioris iudicij homines ualde flagrent cognitione eius medicinæ, quam Thephraustus docet, eaque maxima admiratione utantur felicissime. Sunt insuper alij complures, qui libentissime nostrum Paracelsum sequerentur, si non difficultates & labores obstant, quasi ignavi & otiosi trophae debeat erigere, & non amplius dij sua uendant bona sudore, sed otio, uerbis, gestibus, ornatu uestiu, applausu populi, & cognitione extera accidentium. Si quid laboris

## EPISTOLA

fusciendiū est, confugiunt actu  
tum ad coquum quo testantur la  
bores ad se non pertinere, medici  
nam esse speculationem absq; expe  
rientia, scientiam operatione caren  
tem nō artem, contra suorum præ  
ceptorum sententias. Hinc fit, ut  
simplicia adulterina in compositio  
nes medicamentorum transferan  
tur: imò sāpiuscule cōsilium ægro  
to auxiliū imploranti datur: & ne  
scit medicus simplicia, quanuis ea  
oculis uideat, ac manibus tangat,  
quænam sint. Quomodo igitur er  
rores corrigent, aut alios ignota  
quod officium doctoris existit, do  
cebunt. Naturam noctes atq; dies  
ubique sedulò laborantem, quæ in  
hac arte præstantissima magistra  
est, negligūt, ac minimè ipsam imi  
tantur, cùm sint ipsius ignari. Phy  
sica, mathematica, & spagyrica, in  
quibus

COMMENDAT.

quibus hęc ars tota consistit, aut penitus ignorant, uel tanquam canes Nilum degustarunt. Quae non intelligunt, ea uituperat quasi omnia scirent, nō considerantes artes nullos habere aduersarios, præterquam negligentes, & ignorantēs. Asserunt Theophr. noua principia, ipsaqꝫ falsa, statuere, se uero Aristotelis, totiusqꝫ naturae uerissima habere, per aliquot millia annorum, comprobata. Quantum ad prima naturae principia attinet, uerissimum est, ipsum hominibus noua non naturae tradere, quae cunctis diligenterius eam considerantibus demonstrat. principia Theophrasti esse certissima, & Aristotelis hominū arbitrio constituta, & leui iudicio probata constat. Aristoteles quidem tria constituit, totidem & Paracelsus. Aristoteles tres ipsis ascri

EPISTOLA

psit proprietates, scilicet, ante omnia esse, omnia ex ipsis oriri, ac ex se inuicem non nasci, quas Theophrastus ueras esse comprobat. Quid ergo est discriminis? Dicam, & quam breuissimis potero. Aristoteles ait principia esse materiam, formam & priuationem: Theophrastus uero, sulphur, Mercurium & salem. Aristoteles enim inquit, Necessariò unum aliquod esse omnium rerum materiam, subiectū & fulcrum, ex quo cunctæ res ori- antur primò, & in quod resoluan- tur ultimò, fiantq; in ipso simpli- cium corporum transmutationes. Deinde duo oportere contraria in hærere materiæ: nullam enim rem sui ipsius appetere interitum, nec se ipsam lädere, quatenus una exi- stit, ac transmutationes fieri ex con- trarijs in contraria, manifestissimè consta-

COMMENDAT<sup>9</sup>

constare: ergo duo cōtraria saltem  
insunt materiæ, hoc est, forma, &  
priuatio, quare illa informat rudē  
& omni qualitate carentem mate-  
riam: hæc uero est nouæ formæ ab-  
sentia, defectus & desiderium: quæ  
tria (ut sæpius asserit Aristoteles)  
nullo sensu deprehendi possunt,  
sed proportione corporum propo-  
sitorum inueniuntur, & distinguun-  
tur. Theophrastus autem longè  
manifestius principia inuestigauit  
ac plurimis docet libris, que sensus  
deprehendunt, & ratio cōmonstrat,  
Deusqe creauit: nam in quæcunque  
omnia corpora dissoluuntur ulti-  
mò, ex ijsdem quoque componun-  
tur, & in sulphur, Mecurium & sa-  
lem omnia corpora ultimò resol-  
uuntur, quod experientia manife-  
stissimè demonstrat. Quicunque  
enim corpus aliquod cōpositum

EPISTOLA

diligentissimè in partes spagyrica  
arte dissolu it, uel obseruet dissolu  
tionem absq; hominum opera fie-  
ri, semper inuenit ista tria paula-  
tim tendere ad sua prima, nec plu-  
ra, nec pauciora. Sulphur autē est  
omne id, quod incēditur, nec quic-  
quam concipit flammam, nisi ratio-  
ne sulphuris, quod exiccat & con-  
sumit humidum in corporibus cō-  
positis. Mercurius siue liquor, est  
omne fumosum & humidū in quo  
uis corpore, nec ulla res in fumum  
conuertitur, nisi ratione Mercurij:  
nec in altum tendit absque eo, qui  
sulphur & salem sāpe rapit secum.  
Quicquid in cinerem siue calcem  
redigitur est sal, nec ullus fit cinis,  
nisi ratione salis qui purgat, abster-  
git, ac putrefactiones arcet, ut in li-  
gno sulphur ardet. Mercurius ex-  
halat, ac fugit cum parte sulphu-  
ris:

C O M M E N D A T.

ris: unde facile fugiens etiam incen-  
ditur: cinis est ipsum sal, ex quo  
præstantissimū, ac bene purgatū  
extrahitur alkali, nostris corpori-  
bus aptissimum. Hæc tria in quo  
uis corpore inueniuntur, licet plu-  
rimum tegantur: Dissolutio enim  
docet constructionis methodum.  
Ad materiam primam adeò infor-  
mem, ut omni careat qualitate, ac  
quantitate, formam occultissimè  
informantem materiam, ac priua-  
tionem imaginatione constitutam  
nemo unquam perueniet, nec com-  
positione, nec dissolutione, multò  
minus aliquis usus in mistis often-  
di potest, quod fictæ res non sint  
rerum naturalium partes, nec i-  
psiis naturæ: nulla etiā methodo  
εναλύσεως, nec συνθέσεως, unum qua-  
possunt ipsorum progressus demon-  
strari. Nostra autem magno homi

## EPISTOLA

num commodo semper in quo quis  
corpo ostendi possunt, & quod-  
nam praeualeat. Ac quanto magis  
componuntur, tanto magis tegun-  
tur, & à prima simplicitate disce-  
dunt: Et uicissim quò magis con-  
creta dissoluuntur, eo simpliciora  
apparent, quod intelligendum est  
geometrica proportione, non ari-  
thmetica in corporibus mistis, ut  
calor ignis congregans homoge-  
nea, & disgregans heterogenea  
pulcherrime probat. Ceterum for-  
ma, materia & priuatio, ut princi-  
pia rerū, nuspiam ne subtilissimo  
philosopho apparent, & nihil omi-  
nus uolunt quidam ea esse princi-  
pia naturæ, quæ sua agit, ac facit re-  
uera, & corporibus non imagina-  
tione aut mentis operatione, alio-  
quin Platonis & Pythagoræ prin-  
cipia longè forent meliora Arist.

Gi-

COMMENDAT.

Gignit enim natura CORPORA  
EX CORPORIBVS, quocirca  
nec alia agnoscit principia q̄b cor-  
pora. Secundo, omnia principia,  
ex quib. disciplinæ demōstrantur  
ac res prodeunt, priora, notiora,  
simpliciora & certiora esse debent  
ipso effectu, quod & ipse Aristote-  
les, multiq; Philosophi uno faten-  
tur ore. at ista tria imaginatione cō-  
stituta, non sunt compositis notio-  
ra, nec certiora, quòd nec ratio, nec  
sensus ea apprehendat. Nam res  
genitæ sentiuntur, ac ratio colligit  
per sensus eas esse in certo statu, ut  
Socratem uideo, tango, olfacio, &  
audio. Deinde ratio colligit ipsum  
non aliud esse hominem q̄b ipsum  
certum, & indicat non esse brutū,  
multò minus plantam, metallum,  
aut aliud quodvis corpus. Mate-  
riam uero, formam, ac priuationē

EPISTOLA

principia, nec ratio, nec sensus capere potest, si etiam Socratē in milie diuideres partes, easq; compones diuideresq; pro animi arbitrio. Analogia, siue proportio, inquit Arist. docet ista principia. Cernimus enim in omnibus compositis esse quandam materiam, quæ existit subiectum cōtrariorum in mutatione, ac tandem resolutione ultima unum duntaxat esse subiectum omnibus rebus commune colligimus, in quo nihil contrarij per se est, sed cōtraria ipsi inhærent. Hæc quidem dicuntur à quā plurimis qui summam naturæ scientiam sibi ascribunt, probatio autem nulla adest, quod captum humanum & naturæ ordinem excedant. Si proportio sola nos ducat in cognitionem principiorū, cogimur certè nolentes siue uolentes fateri, accidentia

C O M M E N D A T.

dentia omnia quæ naturalibus cor  
poribus inhærent, sensibusq; obie  
cta sunt, & sua habere propria prin  
cipia: Cur enim potius substantia  
haberet sua principia atq; colores,  
sonus, sapores, odores, lumina, a  
liæq; res huius generis innumeræ?  
Ex materia sane informi & inani  
non prodeunt, quod omni acciden  
te careat, alioquin certi aliquid de  
notaret: nec ex forma, quæ necessa  
riò aut est substantia, aut accidens:  
Si essentia (ut pleriq; affirmant)  
non fiunt ex ipsa accidentia, quod  
sit simplicissima & incorporea,  
quemadmodum nec ex accidenti  
bus ulla sit substantia: Si autem di  
xeris accidens esse, nil certi potest si  
gnificari quod sit transcendens, &  
nullius certæ categoriæ: nam quali  
tas solùm esse nequit, quod ex qua  
litate & substantia omnis corporis

EPISTOLA

experte non possit gigni quantitas  
sic nec ex quantitate, ac huiusmodi  
substantia qualitas oritur. Eadem  
etiam est ratio quoque de reliquis  
categorij. Ex priuatione quæni-  
hil (teste Aristotele) per se existit  
multò minus ulla res naturalis fie-  
ri potest: Quomodo itaq; ratio no-  
stra huiusmodi principia cogno-  
scet: proportio quidem falsa præ-  
scribitur, que eam sollicitè inquire-  
do seducit, indicatq; fundamentū  
ultra limites naturæ, quod nunquā  
inuestigari potest. Quantò enim  
singula diligentius examinat, prin-  
cipiaq; inquirit, tantò magis ratio  
cinando aberrat, cernitq; totius  
philosophiæ fundamentum, fragi-  
le, inconstans, & fictum esse. Quia  
ordine singula inquirens, hoc mo-  
do miserè tallitur, nec tamen com-  
modiorem rationem Aristoteles  
cum

COMMENDAT.

cum tota sua secta præscribit, nec  
ratio inueniri potest: prima mate-  
ria, aut est substantia, aut est acci-  
dens. Respondent sectatores Ari-  
stotelis, substantiam esse quæ necel-  
fariò uel est corporea, uel corporis  
expers. Si corporeā dixeris ipsam  
esse, continuò sequitur contra Ari-  
stotelicos elementa non esse simpli-  
cissima corpora, nisi cum Empedo-  
cle aslerere uolueris, omnium ma-  
teriam primū esse quatuor elemen-  
ta, quam opinionem Aristoteles,  
ac pleriqꝫ Philosophi, ut falsam cō-  
futarunt, & proprijs qualitatibus  
quæ sub sensum cadunt esse prædi-  
tam: Siquidem corpus naturale est  
substantia, quæ prædicta qualitati-  
bus sentiri potest. Sin uero affir-  
maueris expertem corporis, longe  
magis animus admiratur, qui cor-  
pus nascatur ex substātia incorpo-

EPISTOLA

rea, quæ omni qualitate, magnitudine ac pondere caret, & unde tam ingens mundi sit machina orta. Quod si respondeas, concursu materiae, ac formæ, interrogat iterum illa forma, est ne substantia, uel accidentis? Substantia esse nequit, q[uia] nec expers sit corporis, nec eius particeps: si enim corpus foret, eadem absurdâ sequeretur, que suprà diximus materiam consequi, & corpora mixta fierent ex forma, non solù materia: ex quo uis enim corpore aliud fieri potest. incorporea neque esse: cum duæ substantiæ omnis corporis expertes nullo modo efficiant corpus, quod & ipsi fatentur dum inquiunt: Composita sunt ei-iusdem naturæ cū ipsis ex quibus componuntur, ex lignis, lignea, ex metallis, metallica, ex elementis, elementata, &c. dicemus ne hūc mū dum

COMMENDAT.

dum esse incorporeum? nequa-  
�: Cedò ergo, unde tam amplum  
corpus totus hic mundus originē  
duxit? Respondes denuò, ex mate-  
ria, ex forma: At ex substantia in-  
corporea, & informi, nihil est nisi  
incorporeum: da contradictionē,  
& ostende quando, ubi, & quo-  
modo natura incorporea tantum  
opus genuerit, ac gignat: Explica  
simul, quā poterit incorporea sub-  
stantia alterius esse subiectum, uel  
alteram informare, & quomodo  
sit finita, qui sint termini, siue limi-  
tes eius: & materia cūm sit omnis  
qualitatis expers, demonstra qui-  
bus rationibus corpora prima, si-  
ue elementa sint primò ex materia  
& forma distinctè nata, Profectò  
uolens nolens contra omnes Phi-  
losophicas ratio nes cogeris sateri  
hunc mundum temere, ac fortuitò

## EPISTOLA

natum esse. Curo obsecro incorpo-  
rea substantia potius corpus essi.  
cit leuissimum, tenuissimum, cali-  
dissimum & siccum, quod elemen-  
tum ignis uocatis, quam humidū,  
frigidum & graue, quod aquam ap-  
pellatis. Naturaliter talis distinctio  
si facta sit, aut adhuc fiat, necessariò  
causa existit aliqua. Si uolueris  
hoc fieri ratione formæ, oportet i-  
psam formam huiusmodi aliquid  
antea fuisse, & quatuor simplicium  
corporum distinctas naturas con-  
tinuisse, atq; adhuc continere, sicq;  
nō erit substantia incorporea, nec  
accidens, sed corpus. Deinde cùm  
natura rudis ( quam Plato inane,  
aut uacuum appellat) alias ac alias  
appetat, & suscipiat formas, quarū  
absentia est priuatio, & priores ne-  
cessariò intereant, quomodo rur-  
sum nascuntur: aut qua ratione si-

unt

COMMENDAT.

unt nouæ: & nihilominus priores  
non præcedant posterioribus cū  
sit unum & idem principium: for-  
ma succedit priuationi, & priuatio  
formæ: sed unde iterum prodeunt,  
& quò abeunt quæritur. Hæc for-  
ma si substantia est, oportet, ut in-  
tereat substātia, nisi transeat in ma-  
teriam, quod tamen nolunt, quia  
nec ex alijs nec ex se inuicem fiunt,  
& suscipit accidentia: quòd omnis  
substantia suscipiat accidentia præ-  
ter Deum. Priuationem interire,  
& ipse Aristoteles asserit, soli ma-  
teriæ immortalitatem uidetur a-  
scribere: inquit enim in fine lib. pri-  
mi, primo Physicorum de materia  
quam sæpe priuationem & poten-  
tiā uocat, φθείρεται δέ τι γίνεται, δέ τι μή  
δέ, δέ δέ ως τό, ως μή γέρεται τούτη, κατά τὸν αὐτὸν  
φθείρεται, τό γέρε φθείρομεν τούτη. δέ τι γίνεται  
σικός; ως δέ, κατά τὸν αὐτὸν αλλά τόν  
φθείρον, καὶ τὸν αὐτὸν αναγέννητον αὐτὴν εἴη.

## EPISTOLA

Hæc certè sententia de principijs  
seipsum cōfundit, & euertit ex Ari-  
stotelis uerbis, quem tamen uide-  
mus docere, formam primam non  
esse substantiam, ut complures in-  
terpretes, sed qualitates primas:  
nam libro primo Physicorum ait,  
materiam esse quodammodo sub-  
stantiam, formam spectare ad pri-  
mam sapientiam, & duo principia  
cōtraria inhærere materiæ. postea  
cap. primo libri secundi, de Ortu  
ac interitu suam sententiā planius  
explicans dicit: Nos autem dici-  
mus corporum quæ sensu percipi-  
untur materiam quandā esse, eām-  
que nō separabilem, sed repugnan-  
tiæ semper coniunctam, ex qua ele-  
menta oriuntur. Et paulò pōst con-  
cludit, Itaque primo quidem sensi  
le corpus principium est: Deinde  
contraria calor & frigus: Tertiō si-  
mul

COMMENDAT.

mul aqua & ignis alia' que eiusdem generis. Materiam uocat corpus potentia sensile: quia quòd sit uera essentia & ex ipsa corpus uoluerit gigni. Formam, contraria quæ materiæ insunt, ex quibus tertio fiunt corpora simplicia. Hanc sententiā Galenus libro primo Elementorum, his ferè explicat uerbis: Faten tur omnes Philosophi, materiam quandam omnibus elementis subiectam esse, quæ omni caret qualitate, ac in ea summum calorem ignis esse principium: præterea eandem materiam, nec unquam oriri, nec interire: Qualitates uero in ea intereire ac gigni. Deinde in eodem lib. sequitur: Cū enim materiæ summus accedit calor, tunc uniuersum illud est elementum. Eodem modo etiam, quoties summum frigus, humor, aut siccitas materiæ coniun-

EPISTOLA

gitur, elementum existit, nec ex alijs qualitatibus iudicatur elementum, quam hisce quatuor: Solae namque haec quatuor materiam subjectam commutando, causae sunt elementorum. Haec non quod ea sicuti uera & utilia probemus, ascripsimus, sed ut partim studiosi iudicent, quantum plerique interpretes ab Aristotelis sententia discedant, quae magis ad ueritatem accedit, quam ipsorum figura omni ueritate carentia. Ceterum quomodo forma mera qualitas, materiae substantiae incorporeae misceatur, nuspiciam ab Aristotele nec interpretibus docetur, nec potest uera mixtura ratio tradi quod non fiat talis compositione in rerum natura, qualem ipsi praescribunt. Quaenam ratio ne substantia incorporea & qualitates concurrant, ac tam immensa-

cor-

COMMENDAT.

corpora cōstituant cū omni quan-  
titate, ac corpore careant, omnem  
excedit rationē ac fidem. Quomo-  
do hic tantus mundus cōsistit, ac  
suffulcitur substantia omnis corpo-  
ris experie & qualitatibus. Frustra  
hic laborat quæcꝝ anima, inquiren-  
do talia uana fundamenta. Est &  
substantia prior accidentibus, er-  
go principium alterum sequitur al-  
terum. Si uero ab æterno dixeris  
fuisse, Quis intelliget, quomodo  
res mutabiles sint ex æternis & im-  
mutabilibus ortæ? cùm qualitas  
nō minutum temporis existat abs  
que subiecto, quod tamen uolunt  
cum ea corpus constituere. Quis  
obtestor sanæ mentis contra san-  
ctissimam, ac firmissimam uerita-  
tem credet, materiam & formam  
ab omni æternitate fuisse? Deus e-  
nīm IEHOVA in principio crea-

## EPISTOLA

uit cœlum & terram aliaçp prima corpora, ex quibus cūcta iuxta formas suas sex dieb. produxit: nō igitur solū talia falsa ac absurdā, qualia uera ratio nunç percipere potest, sed & impia, quibus bona adolescentum ingenia obruuntur, & corrumputur in scholis, ac passim à Deo ad uarias hæreses abducuntur. Maxima est Dei laus omnia posse, ac ex nihilo omnia creasse, quæ isti turpissem̄ nituntur negare, aut perperam obscurare huiusmodi principijs, de quibus tot ferè extant opinioneſ, quot scriptores. Valeant itaq; huiusmodi opiniones que Dei gloriam tollere student. Sic Galenus libro xi. capite xiiij. de Vſu partium iniquissime reprehendit Mosen sanctissimum Prophetam, quòd afferat Deum omnia posse, & mundum ex nihilo.

COMMENDAT.

Io creasse, unde dicit: Certè Moy-  
ses quidem ita de natura ratiocina-  
batur, cuius ratio quam Epicuri ui-  
detur mihi probabilior: optimum m-  
tamen est neutrius rationem sequi,  
sed potius generationis principiu-  
m quod à creatore ducitur. Et paulò  
post: Nec enim si lapidem repen-  
te (Deus) uelit efficere hominem,  
id poterit. Atc in hoc ratio nostra  
ac Platonis, tū aliorum, qui apud  
Græcos de rerum natura recte con-  
scriperunt, à Mose differt: satis e-  
nīm ipse in rebus efficiendis uolu-  
tatem Dei esse: siquidem omnia  
Deum facere posse arbitratur: si e-  
tiam ex cinceribus equum aut bouē  
facere uelit. Nos uero non sic senti-  
mus, sed confirmamus quædam na-  
turam efficere non posse, eaç Deū  
ne aggredi quidem omnino, sed  
ex iplis quæ facere potest, id quod

EPISTOLA

melius est, eligere. Lactantius lib.  
ij, capit. xi, multis agit argumentis  
contra eos, qui putabant materiam  
primam semper fuisse, ac Deum ex  
ipsa fecisse uniuersa. Idem & alij pa-  
tres tractant, qui impium esse cum  
sancto spiritu iudicant, falsa in scho-  
lis Christianorum docere. Quade  
causa bene loquitur Tertullianus  
in libro contra Hermogenem, Phi-  
losophos esse Hæreticorum patri-  
archas, uarijs cū probet argumen-  
tis in quinto contra Marcionem,  
tum hoc toto libro: quoniam Her-  
mogenes autem auuit, materiam  
ab æterno fuisse, & semper futurā,  
totumq; mundum ex ea factum es-  
se: quia Deus, ait, aut ex nihilo, aut  
seipso, aut aliquo, fecit omnia, ex  
nihilo non potuit, quod Deus sum-  
mum bonum & perfectissimum sua  
uoluntate nil nisi bonum sibi simi-  
le

COMMENDAT.

le creasset, sed plurima cū sint ma-  
la, non possunt ex summo bono  
originem habere, sed ex materia  
prima. Deinde semper Deus fuit  
Dominus alicuius subiecti, quod  
est materia prima. Ex seipso non fe-  
cit: alioquin omnia forent diuina,  
& partes mundi imperfecte, & ipse  
Deus mutilus, quod partes ipsius  
essent dispersæ. Aut omnes res u-  
nus deus, nec res amplius fieret, sed  
essent. Ergo concludit hunc mun-  
dum ex materia prima, quæ semper  
fuit, genitum esse, quæ Tertul. e-  
rudite lib. toto contra Hermog.  
confutat, & multis uarijs que argu-  
mentis probat hunc mundum nō  
esse productum ex ulla materia,  
sed creatum ex nihilo. Quum itaq;  
principia rerū naturalium neque-  
ant esse substantiæ corporis exper-  
tes, multò minus accidentia, quæ

EPISTOLA

non per se existunt, sed substantiæ ut puriori, solidiori, & constantiori inhærent, nec ex utrisq; composta, quod inter se conuenire nō pos sint, necessariò corpora erūt, quæ, aut sunt simplicia & prima, aut ex simplicibus & primis composita. At ex principijs omnia fiunt, & ipsa ex nullis alijs, nec ullum corpus ipsis prius, uel simplicius existit, nec per alia sunt, aut constant, sed alia per ipsa. Præterea Deus omnia creauit diuina eius uolunta te per Iesum Christum omnis boni ueram causam, sine qua nihil factum est: principia etiam sunt plene in principio mundi creata, cùm sint perfecta corpora omnium mistorum, fulcra, materia & funda menta, quæ primò in plæriscq; fuc re nudiora & simpliciora, ut & hodie, sed paulatim magis, ac magis ipso

COMMENDAT.

ipso concursu tecta & recondita, sic  
aqua mercurialis produxit iussu  
Domini omnia sua in quibus lon-  
gè plus salis & sulphuris reperitur,  
quam pura aqua. Contrà in anima-  
libus plus mercurij est, quam terra  
quæ ea genuit. Tertiò, principia  
non intereunt, nec oriuntur, à con-  
dito enim in modo ad finem eius per-  
manent, unde perpetua esse oportet,  
quanvis geometrica propor-  
tione misceantur, adeò, ut nullum  
sit omnino simplex. Quartò, natu-  
ra necessariò in transmutationib.  
ex ipsis solis omnia componit cor-  
pora, & in ea ultimò resoluit, non  
imaginatione, sed reuera, & quan-  
to dissolutio accrescit à composite,  
tantò magis ostendit natura & ars  
simplicia. Quæ ultra hæc singun-  
tur, nec ratio, nec natura agnoscit;  
ergo principia sunt corpora prima.

COMMENDAT.

& simplicissima, creata, perpetua  
per se consistentia, ex quorum mi-  
stione omnia fiunt, & in quæ ulti-  
mò resoluuntur. Vana falsacq; est  
horum imaginatio, qui asserunt in  
omnib. transmutationib. corporū  
dissolutionē fieri in materiam pri-  
mam Aristotelis, quæ est substan-  
tia incorporea: ac terminum disso-  
lutionis, in quo incipit cōpositio,  
singunt minuto fieri temporis, qd'  
nullo modo rationi est consenta-  
neum: siquidem granum aqua dis-  
solutum in paumento, uel assere,  
interit, ac producit primò candidā  
aut flauam herbam, deinde uiren-  
tem, quæ nascitur ex corpore gra-  
ni non substantia incorporea, ut  
quiuis cernere potest. Ita ex grano  
sinapeos nascitur frutex, ex hor-  
deo, hordeum, ex ouo generatur  
pullus non canis, id est signum eui-  
dens

## EPISTOLA

dens ista non transire in materiam  
primam: Quia si fieret materia pri-  
ma, nulla foret causa per quam po-  
tius nasceretur ex ovo pullus, quā  
planta, aut metallum, lapis, homū  
culus, aut quiduis aliud: quod ma-  
teria prima omnibus caret qualita-  
tibus, & nullam habet inclinationē  
ad hanc, uel illam rem, & forma pe-  
rit, euanesceretq; qui aliorumq; na-  
tura, ut nihil corporis appareret,  
quod contra euidentissimam expe-  
rientialam dicitur, sine qua ratio ni-  
hil constituere debet. Inspiciamus  
hunc amplissimū mundum, eiusq;  
uarias partes, & uidebimus absq;  
longa inutili' que disputatione tria  
principia à Theophr. descripta es-  
se uerissima (Vulcani opera id o-  
ptimè fit). Quod uero elemēta nō  
sint corpora simplicia, sed matrīces  
ortae ex primis tribus, nec requirāt

EPISTOLA

materiam primam in suorū transmutationibus, aliaq; nōnulla, in epistola quadam quā p̄æfigimus libris Theophrasti, p̄æceptoris nostri fidelissimi, & monarchæ totius medice religionis unici, breuis simis uerbis commonistrabimus. Hæc etenim omnia si h̄ic tractaremus, epistola nimis cresceret, lecto rīq; molesta foret. Nec quispiam si bi persuadeat, nos hæc docere propterea quòd aut Theophrastum arbitremur quicquam omisisse, aut nos melius ipso posse id negotium explicare, sed cupimus bonarū disciplinarum studiosis uiam sterne-re ad eius Paracelsi p̄æclarissima, ac utilissima scripta intelligenda, in quibus hæc aliaq; multa copiosissimè manifestissimeq; exponuntur; & calumniatores esse probantur, qui affirmant Theophrastū es-

se

COMMENDAT.

sedunt taxat Empiricum, ac omnia  
confusè docere: ubiqz enim causas  
propinquiores, ueriores & interio-  
res inquirit, ac docet, ex quibus po-  
stea totam methodū pulcherrimè  
deducit, sed hoc nō est mirum nec  
nouum: solent namqz furore rapti  
circunsepti quemendacijs ea haud  
difficilè reprehendere quæ non in-  
telligunt. Legunt nonnulli aliquē  
librum Theophrasti, quem si non  
capiunt, arbitrantur id non sua, sed  
authoris culpa fieri, quasi omnia  
confundat, & methodi sit imperi-  
tus, & isti omnium rerum sint gna-  
ri, nihilqz eos lateat. Quibus ego si  
respōdere conarer, integrum, idqz  
maximum uolumen foret conscri-  
bendum, in quo singulorum libro-  
rum Theophrasti doctrinā & me-  
thodum, qui meas in manus perue-  
nerunt unquam, ostenderem. Le-

COMMENDAT.

gant, ac relegant ipsimet libros Paracelsi, depositis animi perturbationibus, falsisq; contumelijs quæ homines nimium à ueritate in tenebras abducunt & dubio procul cernent Theophrastū methodicè docere, præcipue si adhibuerint diligenter manum aratro, hoc est, laborarint, eaq; confecerint quæ ipse præscribit. Nec opus est ut longè exempla petamus: nam uerae methodi cum ubiq; exempla proponat, tum in hoc libro propositū nobis omniū est commodissimum. Hoc autem quò melius appareat, paulò altius totius negotij cardinem repetam, quòd cōstet multos clamitare methodum deesse, qui ignorant quæ sit uera historia methodi, quam natura & recta ratio præscribūt. Methodus est breuis ratio, ac uia rectè docendi; docemus autem rectè per notiora

## EPISTOLA

notiora, aut nobis, aut naturæ. Nò  
bis sunt notiores effectus, fines, res  
singulares, totæ & cōfusæ, per quæ  
argumentātur ratiocinationib. &  
enthymematis. Ab huiusmodi no  
tioribus doctrina quoties sit, dici  
tur methodus dissolutionis, Grecè  
ἀνάλυσις uel μέθοδος ἢ ἀναλύσις. Altera  
huic prorsus contraria fit per cau  
sus, generalia, & partes. argumenta  
mur uero inductionibus & exem  
plis, fitq; progressio à sensibus ad  
intelligentiam, illic contrà Latinis  
appellatur cōstructio, aut compo  
sitio, Grecis σύνθεσις, uel μεθόδος σύνθ  
esis. Has duas quoquis tempore na  
tura nos docet sua corpora compo  
nendo, ac dissoluendo, & ratio hu  
mana non difficulter eas obseruat,  
ac usurpat in diuersis negotijs, licet  
pauci animaduertant. Tertia utri  
usque particeps non incommodē

## EPISTOLA

ipsiſ annumeratur, qua totum par-  
tibus certis proponitur, quæ singu-  
lātīm ordine explicantur, id sit, aut  
diuīſione, aut definitione, propte-  
re. & ipsa methodus dicitur diuīſio-  
niſ & definitioniſ, cūm tamen re-  
uera totum ſi ſpectes negotiū pror-  
fus una & eadem ſit: quōd totū ſem-  
per proponatur idē partibus ex-  
plicetur, definitio ſit idē quōd  
res defiñta, & partes omnes ſimul  
iunctæ idē quōd res defiñta: prio-  
res duæ ſunt naturæ ac rationis,  
hæc ſoliuſ rationiſ, qua utitur ſuis  
in negotijs, quoties neutra priorū  
commodè uti potest. Ex fine inue-  
ſigatur methodus: nam iſ ſi totū  
tuērit aliquod, docēdus eſt per cau-  
ſas constructione uel partes defini-  
tione, ſiue diuīſione: ſi autē pars,  
dissolutione: In libris uero conscri-  
ptis optimè diſcimus methodum

COMMENDAT.

ex ordine progressionis. Harum rationem docendi semper una est præcipua in quo quis opere, cui & reliquæ miscentur & inseruiunt. Quo autem methodus huius libri manifestior fiat, ordinem ac summam totius operis primò refereamus, ex quib, postea eliciemus methodum. Totum opus quinque ab soluit libris, quorum in primo docet, quotuplicem esse uitam, quid uita longa, quibus medijs comparatur, hominem constare duobus corporibus, quorum alterum naturale est conflatum ex uarijs partibus, similaribus & dissimilaribus: alterum est cœlestē præter naturam, physico mistum corpori: unde uita duplex existit, naturalis & cœlestis, in partium concentu longam uitam consistere afferit. Hæc quo manifestè & uera doceat me-

COMMENDAT.

thodo causas diligenter explicat,  
primò, duo cū sint corpora mista  
quæ unum corpus cōstituunt, mo-  
dum indicat cognoscendi & iudi-  
candi partes naturalis corporis, ui-  
tam, ualetudinem & mortem atq;  
quibus ex causis prodeant. Postea  
inquirit fontes uitæ longæ per suas  
causas, certaçp principia more ma-  
thematico, ac inuenit eam non effi-  
ci hoc mortali corpore & uita eius  
fluxa, sed cœlesti uita & corpore  
quod non uidetur, quæ duo cōiun-  
cta & mista corpori naturali, perse-  
ctæ causæ sunt uitæ longæ: sicho  
mo quatuor causis siue parentibus  
sit: nam duo corpora ueluti matres  
diuersæ, hoc est, naturale & cœleste  
cōcurrunt, & duæ uitæ, hoc est, for-  
mæ quasi patres, naturalis & cœle-  
stis unà gignunt filiū unicum, qui  
est: mas, id est, uita, & fœmina, id  
est

EPISTOLA

est corpus. Duplex medicina ipsi  
adhibēda, altera, ut conseruet, alte  
ra, ut restituant amissa. Praxis simi  
liter duplex, altera physica, altera ui  
tæ longæ, utræcū ex fine iudicanda  
est: uita aut̄ longa duob. q̄a in cor  
poribus existit tanquā materia, &  
duab. formis causæ efficientes sunt  
inqrendæ & cōsiderādæ, quas præ  
cipuas sex esse docet. prima est ma  
gia diuina per reuelationes Dei ho  
minibus tradita, quæ ex diuinis æ  
ternis c̄p corporibus influit in hoc  
mystum corpus, & conseruat illud,  
qua primi parentes edocti, nonin  
gentos annos uiuendo transgressi  
sunt. Secunda est causa naturalis,  
qua ex mineris subtilissima separa  
tur essentia uirtute ignis, quæ cor  
pus senectute consecutum, pristinæ  
iuuentæ accurate restituit, ac ab o  
mni ægritudine liberū reddit. Ter

EPISTOLA

tia est magia, non à Deo immedia-  
tè, sed à supercœlestibus corpori-  
bus influens in hoc mistū corpus  
quod etiam regit. Hac usus est Ma-  
hometus, ac sibi nomen compara-  
uit quasi immortale: huius periti  
fuerunt & magi tres Christū quæ-  
rentes. Quarta imitatur falsò præ-  
cedentem propter naturę ignoran-  
tiā: quia transmutat corpus natu-  
rale nimium in phantasticū, quod  
diu oberrat, imò etiam ad extremū  
iudicij diem, non uerè uiuens, qua-  
re uita longa ibi falsò existit. Quin-  
ta, impressio deltica, siue imagina-  
tio, qua alter alterius uires accipit:  
huc spectat signa, characteres, figu-  
ræ & orationes. Sexta, astrorum  
influentia, quæ aut certis medijs  
corpus humanum donat longa ui-  
ta, interdum accedente quoq; ima-  
ginatione, corpora mortalia efficit

im.

COMMENDAT.

immortalia, qualia in terris & a-  
quis uersantur. In secundo lib. ex-  
ponit primò rationem methodi, et  
quæcunq; in primo lib. generatim  
sunt tradita, eadem particulatim i-  
bi interpretatur, præsertim cor-  
pus morbis affictum, quomodo  
curari & cōseruari debeat per arca-  
na & balsamum. Ordo morborū  
hic est, podagra, gutta, lepra, epile-  
psia, febres, apostemata, hydropi-  
sis, dissoluta, uermes, cancer, syro-  
nes, pustulæ, ulcera & uulnera. In  
tertio persequitur rationem me-  
dendi, uitamq; producendi certis  
medijs, sed alia ratione quam in se-  
cundo, ubi tractatur corpus infir-  
mum, hic uero ad conseruandum  
& tuendum illud, parantur arcana  
ex auro, gemmis, herbis, anthimo-  
nio, sulphure, mercurio, uino, mū-  
mia, satyrione & primo metallo.

COMMENDAT.

In quarto iterum ad generaliora re-  
dit, primò tractans de quadam vir-  
tute inuisibili quæ ualde multum  
præstat corpori, uocat eam balsa-  
mum, omnem corporis naturam  
excedentem, qui duo corpora con-  
iunctione conseruat, & cœleste cor-  
pus unà cū quatuor elementis su-  
stentat: inest autem duob. modis,  
uel casu, & clam agit, uel artib. cer-  
tisqe medij scomparatur, ut herbis,  
metallis, quintis essentijs, alijsqe re-  
bus uitæ longæ certos præscribit  
terminos: non quod omnis uita  
possit extendi, sed ut homo cōside-  
ret ipsum terminum qui promoue-  
ri potest: duplex enim est termi-  
nus, alter naturalis uitæ fixus, quē  
homo Microcosmus superare ne-  
quit. Alterum certis medijs trans-  
gredi potest. Ibiastrum triplicē di-  
tinguit, ac medico diligenter con-  
siderandum

## EPISTOLA

fiderandum admonet ne pugnantiā coniungat, quorum primus ex elementis originem, secundus ex magnalibus, tertius ex proprijs specificis dicit. Primus aliquando ad dit decem annos, interdum uiginti, nō nunquam plures, morbos tamen non tollit. Formae ipsius tot existunt, quo sunt homines. Secūdō tradit separationem atq; purgationem nostri corporis, qua paulatim ascendit ad coelestem naturam, non tamen relicto corpore physico, sed omnes partes purgantur, ac figuntur lucidissimo reflexionis calore, quo frigida immūda & obscura à calidis & splendidissimis disiunguntur. Sic primus Iliaſter nō ualet per ſe, niſi quod arceat interitum per arcana, sed omnia aguntur auxilio reliquorū: Ergo Mummia uitam longam efficiens, ex tri-

EPISTOLA

bus anatomicis cōponi debet, quō  
sit res arcana, in qua latitant res cō-  
lestes. Diligenter itaq; consideran-  
dæ sunt exaltationes rerum, ac gra-  
datim ad immortalia fixa q; pergen-  
dum: singula nanc; habent sua æ-  
terna, ac firma in eodem ordine, ut  
noster Maius fluxos, tēporaneos  
& fugaces flores producit, alius ue-  
rò perpetuos & immortales. In 5.  
lib. rursus indicat suā methodū, &  
asserite ea se absoluturū quæ in pri-  
mo cōcepit docere: ostendit duas es-  
se uires, siue formas in hominū po-  
testate, naturalem & aeream. De il-  
la dictum est, hanc uerò quę omni-  
corporis est expers hoc lib. tractat.  
Vitæ longæ terminus est mille an-  
ni, & minimus sexcētesimus, sequū  
tur postea canones & conditiones  
uitæ longæ, quæ in aerea consistit  
uirtute, que aut est sanitas fixa, aut  
ægritu

EPISTOLA

ægritudo constans & firma qua æger diu uiuit. Postremò concludit nos uitam longam cœlesti uirtute, ac arte consequi. Ex his omnibus manifestum est methodū esse constructionē, quia proposuit uitam longam, quam pulcherrimè causis necessarijs ac proximis demōstrat. Imò in secundo & tertio libro exponuntur generalia per partes & exempla, ne sint obscura, causæcū melius apparent, ac finem lectori ostendant, quod in huiusmodi methodo requiritur: hinc ultimò conclusionem ex causis & partibus urget. Hæc omnia uir generofissime multis & uarijs de causis tibi dedicare, ac sub tuo nomine in lucē prodire uolui, nostræ ut amicitiæ reb. honestis ante complures annos iinitæ, quam cupio sanctam & firmam permanere, dum tuis meiscū

d

COMMENDAT.

corporibus uita duplex cohæreat,  
ac meæ gratitudinis erga te bene  
meritū, extet perpetua memoriā.  
Deinde rara tua eruditio, linguarū  
præclara cognitio, & eximia pru-  
dentia iam nō solum apud illustris-  
simum principem Marchionem  
Badensem & Phorcensem sæpiissi-  
me cōprobatam, sed etiam multis  
Imperijs sacræ Comitijs, iudicium  
præclarum & acutum in huiusmo-  
di rebus, & arduis negotijs iudican-  
dis, bellicæ singularis peritia, ho-  
starum disciplinarum ueritatē squē  
Euangelicæ promotio & amor fla-  
grans, quæ cum genere clarissimo  
plurimum te omnibus bonis com-  
mendant, ac illustrant, merenturq;  
uitam longam, quam hisce quinq;  
libris tāto ingenio ac industria uir  
nobilis Theophrast. docet, ut nul-  
li his sint cōparandi, quod causas  
primas

EPISTOLA

primas, ueras ac proprias tradat, cū  
alijs remotas & minimè sufficentes  
docuerint , ac pro ueris obtruse-  
rint, quorum ex numero doctissi-  
mus Marsilius Ficinus præclarissi-  
ma utilissimaçp uidetur in lucem  
edidisse, praxim uero exiguum, le-  
uem& iejunam addidit, quanuis fe-  
mina producēdæ uitæ obiter spar-  
serit, cuius radices ueraque funda-  
menta h̄ic adeò manifestè ac me-  
thodice oculis subiçciuntur, ut nun-  
quam à cōdito mundo hoc tam lu-  
culenter in lucem prodijt. Nos qui  
dem anno 1560. quatuor libros  
de uita longa typis mandauiimus,  
sed adhuc imperfectos: quia liber  
quartus totus defuit, ac multa capi-  
ta primi & tertij lib. utilissima: nūc  
autem perfectos, ac ex ore Paracel-  
si diligenter exceptos & recogni-  
tos publicamus, quos spero tibi

gratiissimos, ac utilissimos fore in  
uita longa producenda, quæ pro æ  
tate sortitus es à domino Deo cor  
pus bonū & cōmodum, quodarte  
uera in debita harmonia conserua  
ri potest. Si aliqua tibi uideantur  
obscura, libentissimè ac manifestè  
explicabo. Vale feliciter cum tuis  
duobus corporibus, duabus uitis,  
& spiritu uno. Ex Musæo no  
stro 1562. die uisitatio  
nis Mariæ.

VALENTIVS DE RE-  
tijs pio Lectori S.

**T**HEOPHRASTVS PARACELsus ex Nobili Prosa-  
pia Suedigena, apud Ere-  
mitas Heluetiæ natus, à Stoicis Pa-  
racelsus magnus uocatus, 200 &  
30. in philosophia conscripsit lib.  
& 46. in medica solēnitate edidit,  
& 12. de Republica emendauit, &  
7. in mathematica construxit arte,  
& tria opera simul in unum compo-  
suit lib. qui Theophrastia nuncu-  
patur, & 66. lib. de Occultiorib.  
& abstrusis cōdidit, primum opus  
de Archidoxis dictum, in quo de-  
clarat extractiones & separationes  
uirtutum ab inualido, secundū Pa-  
rasarchum dictum, in quo de sum-  
mo bono tractat in æternitate, Ter-  
tium Carboantes dictum, in quo  
transmutationes declarat in forma

COMMENDAT.

& esse. Scripsit Gellius Zemeus de  
isto Theophrasto Germano phi-  
losopho ad Passephallem Ceueū.  
Apud Germanos nunc uir adole-  
scens existit, cui par orbis non fert,  
qui adeò excellēter in philosophia,  
medica, & mathematica in arte, at-  
que de Republica & iustitia scri-  
psit, quòd credo aut mira influen-  
tia in eo sit natalis, aut maior spiri-  
tus sancti gratia in eo, aut immensa  
dæmonum existentia: nam inhu-  
manum hoc est perscrutari, quod  
ipse uilipendit saltem, doctiorem  
me legisse memor nō sum: Quare  
tu Lector syncero animo eius  
Theophrasti scipta faustè  
accipe, lege & relege  
sæpe, Vale.

THEOPHRASTI EX  
HOHENHEIM VTRIVSQUE ME-  
dicinæ Doctoris, de Vita  
longa, Liber pri-  
mus.

CAPUT I.



I DE VITA LON-  
ga Theophrastum phi-  
losophari fas est, Neces-  
sarium primò, scitúque  
dignum, quid uita sit,  
existimo, maxime uero  
immortalis: quem locum Prisci prorsus  
integrum reliquerunt, credo, incognitum,  
aut non satis intellectum. Hinc est  
cur alteri solūm, mortali scilicet, consul-  
tum voluerint hactenus. Verū ut tan-  
dem quid vita sit, definiam: Nihil me-  
hercle vita est aliud, nisi Mummia quæ-  
dam Balsamita, conseruans mortale cor-  
pus à mortalibus vermis & æstpha-  
ra, cùm impressa liquoris salium com-  
miftura. Præterea vita nostra, vita nem-  
pe longa est, quam nec spiritus, nec lu-

## 2 THEOPHR. DE VITA

men naturæ breuem esse aiunt. Ignorantium verò breuis, cū arte longa. Breuius arte quid? vita verò quid longius, inter mortales saltē non superstitionis. Porrò diutius, sanius, viuaciusque quid Balsamo? Velocius, debilius, mortalius corpore physico quid? Temperamentum quippe est breue à longo, & à brevi rursus longum. Cur longa igitur vita & cur brevis? Veruntamen ea vita quæ supercœlestis physica, apud nos canones non habet, nostrę authoritatis pompa, mortale solum corpus indicat, ac regulatur (vt sic dixerim) ab arte in tertium usq; terminum, imò quartum etiam & quintum. Hæc deviuo. Quid inde de morte? Mors namq; quid est? Nihil certè aliud, quā Balsami dominium, Mumia interitus, fallium ultima materia. Quibus ex immortalibus separatis à mortalibus, mortalium membrorum transitum inducit regressum. Hæc ita que est vitalōga ab exordio dicta. Hæc etiam est vita brevis, de morte videlicet dicta. Mors apud nos mors est, non vita. Longior verò hac morte ars. Hæc res vitæ dissolutiones, digestæ quoq; separationes

rationes puri, longæ & sanæ, cùm mor-  
talis, tum immortalis, quam dies natalis  
coniungit, ac copulat, idq; ab vtrisque  
corporibus. Nam omnis coniunctio  
rerum mortalium, maximè diuersarum,  
ad fert secum dissolutionem. Quemad-  
modum omnem cōiunctionem rerum  
naturalium, & earum quæ præter natu-  
ram sunt, sequitur dissolutio. Sic vitæ  
quæ cōiuncta est, comes est dissolutio.  
Mortis enim causa bellum empiricum  
est, non aliud ferē, nisi duellum quod-  
dam, ductum à mortalibus & immorta-  
libus. Atque hoc est planè quod dicitur,  
Pugnat quisq; pro patria. Morbus  
verò quasi iaculum, & Anthos bellilo-  
rica, præter lites in his, quid aliud? Hinc  
est huius mali fons & origo, generatio  
morbi, quam cōtinuò insequitur mors.  
Ex quibus facile colligere licet, quid  
vita sit tum mortalís, tum immortalís,

Qua ratione vtraque conseruari de-  
beat, id quod infrà etiam in  
fine physici corporis  
latius patebit.

## C A P. II.

**S**Vpradicta omnia ut clarius in-  
notescant, principio de Physico  
corpore dicendum esse existimo.  
Omnium quippe quæ tractantur per  
nostra argumenta sustentatio physici  
corporis causa est. Atqui generalis qui-  
dem praxis in physico corpore in hunc  
fieri modum oportet. Principio consi-  
derantur partes eius, & haec ex locali ana-  
tomia per locum totius physici corpo-  
ris cum intellectu medullarum, condi-  
tionum, usus ligamentorum, formarum  
ossium & cartilaginis, neuorum, carnis  
proprietatum, septemque principalium  
membrorum virtutum, idque vniuersum,  
ut quid acturus sis in physico, te ipsum  
intelligas ad hanc regulam. Principio  
oportet probè cognitam habeamus v-  
niuersam rationem atque naturam, cum  
physici corporis, tum physice vite. Cor-  
pus siquidem vitaque physici mortales.  
Ex mortali vero nihil potest eliciri, quod  
pariat vitam longam, sed ea quae possunt  
haberi ex his, sanum reddunt corpus, &  
sic neque corpus, neque vita mortalis,

in

in hac nostra monarchia debent considerari pro sententia Arcani, vel Elixu. Extra namq; corpus est vita longa, & à corpore conseruatur, corpusq; inferius ab ea. Præterea interueniente corpore, exoritur dissolutio vitæ utriusq;. Vbi cunq; enim mortalitas non est coniuncta immortalati, illuc dissolutio esse nequit. Hoc loco plurimum laborauit emperica musa, & sophistæ Medici, spagyrorumque, qua scilicet ratione corpus tanquam balsamum conseruarent, ne causarent mortem, cum balsamū sit vitæ Mummia, nō corporis. haud memores interim in vita mortem non esse. Nihil enim aliud vitæ mors est, nisi dissolutio quædam ab immortali, quæ vbi accidit, tum demū moritur corpus. Atqui huc omnia sua excerpta retulit Hippocrates, corpusculumq; illud præ manibus sumere, tanquam iubiectum longe vitæ, & mortale mortali conseruare decreuit: Cùm in eo nulla vñquam fuerit vita, quæ ex illius fonte manarit. Corpus enim creatura est, at non vita, nihilque minus mortis filia. Igitur ex Archæa descendit, quæ est immortalis. Non

## 6 THEOPHR. DE VITA

prorsus referenda est, inquies, Hippocratica musa, ad mortalitatem. Esto, at multò faciliorem viam ad sanitatem inuenias, quandoquidem è superis descendit magnale istud. Nihil enim præter ea, quæ creaturæ sunt, Hippocrati tribuit Deus, imò nec ei ea plenè, quæ creaturæ sunt, insignia mysteria dedit: sed ad rem. Huic corpori Deus adiunxit aliud quoddā, puta cœleste, id quod in corpore vitæ existit: de quo Theophrastus ego: Hoc opus hīc labor est, ne in dissolutionem quę mortalium est, & huic soli adiuncta, erumpat. Et si in corpore isto caducoaccidere potest dissolution, atq; adeò colligi ex ea amissio cœlici corporis, tamen vitæ longæ obesse nequit, propter restaurationem, quæ subinde fieri debet, vt prorsus omni defectu careat corpus. Sicut enim ignis tantisper, dum ligna adsunt, vivit: Sic vita longa dum adest corpus ex archa, quod corpus ut corpus conseruantum est, interueniente corpore, quod extrinsecus conualescit. Inde enim conservari potest. Nihil enim aliud est corpus, nisi subiectum, in quo longa vita corporis æterni gliscit.

## C A P. III.

**H**Actenus de physico corpore: nūc  
qua ratione materiam huius ab o-  
mni corruptione cōseruari oporteat di-  
cendum. Principio, quicquid in seipso  
corpus corrumpit, idem alieno corpo-  
re est recuperandum, ita, ut monarchia  
Spagyrorum non admittat perulgā-  
rem balsami naturam, qua corpus con-  
seruare laborat. Sicut enim fieri nequit  
quin lignū absumatur igni, ita fieri non  
potest quin corpus aliquando corrum-  
patur vita. Quare minus admittendi  
sunt essentialium rerum periti, qui lon-  
gam vitam balsamo cōparari autumāt,  
Cūm potius hæc sit natura balsami, ut  
corpus à corruptione eiusdem conser-  
uet, ne in corpore vacuū insit. Nam o-  
mne vacuum eius loci morbus est, siue  
ægritudo in corpore, & quasi atrophia  
quædam vitæ longæ. In perfecto enim  
corpore locum habet vita longa: In im-  
perfecto in continuum defectum ad  
mortem usq; dissoluitur. Scimus enim  
physicū corpus sustentari posse à mor-  
te, & illud ipsum ex vi suæ mummiæ in-

**THEOPHR. DE VITA  
natae.** Hæc ad vitam sanam, nō longam,  
quia terminus pro physico est corpo-  
re. Operè pretium autem est ante quam  
vitam longam declaramus, sanā vitam  
**exhibeamus ac præstemus.** Sunt autem  
illa quæ à morbis defendunt. Ut in per-  
sico igne perit membrum non citra di-  
spendit vitæ, quandoquidem iste mor-  
bus membrí est mors, deinceps causa  
vitæ cordis, & hoc ab accidente, potest  
tamen & per physicum balsamum tol-  
li. In mola & Hermia euelatur vita lon-  
ga tantisper dum desinit idem humor.  
Similiter in carbūculo, & sapphiro plus  
æquo gliscit. Observandum igitur cor-  
ruptionem à corpore auferendam &  
quod in vita longa exarsit, in refrigeriū  
denuò redigendum. Quare hoc loco  
specifica naturæ, quæ in hoc sunt ador-  
nata, corpus vnde cunque morbo con-  
fectum, muniant necesse est, id quod  
medicorum esse dicit. In vita autem lon-  
ga nihil eiusmodi requiritur. Leonina  
enim ad vitam longam ex æquo cū eo,  
qui à morbis alienus est, potest reduci.  
Similiter Lithiasis & Tympanites: sed  
hæc de vita longa. Nunc ad breuem vi-  
tam

tam, testalem scilicet. Quicquid in Hypo-  
posarcha sustinet corpus interuenien-  
te percipiolo administrandum. Rusten-  
na Enea in Epilepsia. Perla grandis in  
gutta. Sardiniana in matrice & in id ge-  
nus alijs. Thesrana in Thyra. Thuttia in  
ophthalmia. Perstittella in Erisipyla ex-  
terna. Hypericon in alijs offenditioni-  
bus. Hæc atq; alia, quanuis probè con-  
fecta & absoluta, nihil tamen prorsus  
ad longam vitam faciunt, sed in hoc so-  
lum adhibentur, ut conualeat corpus.  
Parui enim refert, quo ad longam vi-  
tam attinet. Consulatur febribus né-  
ne, Ephimeræ, Causoni, Phthisi, Ethicæ,  
& id genus alijs. Tantis per enim  
dum sp̄ritus naturæ manet, corpus cœ-  
leste seruat, manetque vita longa vna  
cum cruciatu morborum. Hic non præ-  
stò est mors. Quatenus enim corpus in  
tutelam medico committitur, mors est,  
at non cœleste corpus. Ex corpore aut̄  
diffuit venenū in vitam, quam adeò ac-  
cendit, ut prorsus in æstpharā erūpat,  
quandoquidē à corrosiuis mors ducit  
originē, & arsenicale in vniuersū quod  
dam realgar est, ideo nec desinit à na-

10 THEOPHR. DE VITA  
tura veneni, quousq; satisfaciat suæ na-  
ture, donec & reddat consumptum cor-  
pus, idq; tandiu, vscq; in æscpharam inci-  
neratum conuertat, nec post finem ces-  
sabit à sua malitia in ea. Quare duplex  
praxis aggrediunda est. Hæc, vt vitam  
conserues, alia vt reprimas corpus, ac  
places, & idipsum in dies propter cor-  
ruptionem, quæ quotidie accidit.

- <sup>a</sup> Mors originem ducit à corrodentibus.  
<sup>b</sup> Duplex praxis medicinæ.

C A P. IIII.

**C**Vm pro natura creationis corpus  
& eius physica vita tanquam una  
pars in compositione formæ transit, &  
quia physicum corpus dimidium est, cū  
cœleste totū: plus igitur medico cōside-  
randum, vnde & ex quibus maior ho-  
mo conseruandus sit. In maiore siqui-  
dem vita consistit vita longa. At in mi-  
nore, mortalitatis subiectum, & hoc in-  
seritur iuxta prædestinationem, cū cor-  
pus, tum vita cœlestis physico corpori,  
quæ velut indiuiduus comes sequitur  
hanc coniunctionem. Ex qua quidem  
de

de prædestinatione sciendū, quod quæ  
innumerā sunt, aliud coniunctio, aliud  
oportet, aliud rerū esse, aliud vita, aliud  
mors, omnia tamen illa absq; prædesti-  
nato termino, vel pūcto deputato, quā-  
dō quidem sub manu hunc priuilegiata  
tenere cōditor decreuit, vt statutum a  
pud se habeat, possitq; absq; reuocato  
iudicio liberē, quod vult, quodq; visum  
est disponere. Porrò redacta cōiunctio  
ne illa harum duarum formarum, natu-  
ralis videlicet & eius quæ præter natu-  
ram est, in formam nature, idq; omnino  
in cella matricis elicetur, genitores duos  
filium vnum, genitrices etiam duas, fi-  
liam, has quatuor personas gignere. Pa-  
rit hoc semen cœleste cum mortali id a-  
nimale, quod genitum apparet, elemen-  
tale semen & supercœleste simul. Nam  
hoc loco verè operatur corporale se-  
men, id quod in præseruatione ductus  
naturalis conseruari oportet. Ea autem  
quæ præter naturam est forma, in pri-  
mis considerari debet, ita vt per illa etiā  
quæ præter naturam sunt, seruetur. Sic  
duplicium bonorum hæres inscribitur  
puer, naturæ & essentiæ quæ à natura

existit, iuxta præscriptū creationis quæ simul oborit, idq; ab eo, qui præter naturam est parente, qui corpus regit ac gubernat. Ex duobus quippe his parentibus superius sequitur matrimonij cōiunctio diuinitus. Nam Adamus neque ex creatione est aliquid adsequitus, necq; ascendentibus signis, neque alijs rebus obnoxius factus: nihil igitur ex astris quatuor cum homine participes. Indivisa sunt. n. astra & homuncula sed ex eo, quod præter naturam est, vitam longam accepit. Verum ut habeat medicus quod usurpet, necq; passim sequatur imperitorum nugamenta, qui frigidissimè hac de re scripsierunt, principiò admonendus medicus, ut plus ad ea quæ præter naturam sunt, quam ad ea que secundum naturam fiunt, animū adiungat: Deinde ut prædestinationem pulchre calleat. Ex hac enim tanquam ex fonte potius scaturit ea monarchia, quæ præter naturam est, quam specificum & qualificatum. Atq; hinc est perulgatus ille error, quo non pauci inducunt, sic statuunt cōsulere corpori, ut multo plura corpori, q; quæ corporis sunt,

tribuant. Hæc ut clarius innotescant, si  
militudinem hanc cape. Videmus in eo  
quem somnus oppressit, vitam naturæ  
duntaxat inesse, fatumq; spirituū cum  
eo colludere vna. Vbicunq; igitur præ-  
sens vita existit, non plenè, atq; adeò ci-  
tra vim existit. Ea quanuis mortua sit,  
quia non operatur, tamen corpori insi-  
ta est. Item in eo qui iugulū gladio præ-  
bet, ictus vitam longam aufert. Quic-  
quid porrò in corpore subsultat viuum  
adhuc, ingenita vita naturæ est. Hæc  
prosperus non est obseruanda, sed ea qua  
corpus reuiuiscit. Prætereavita lōga tan-  
quā homo existit nobis, vt ignis ligno,  
insitus, quo redintegrascit homo.

## C A P . V .

**S**ed ut magis dilucidè appareant ea  
quæ de parente diximus, qui præ-  
ter naturā est, & naturali iuxta præ-  
finitum insitus. Quæ causa est duplicitis  
vitæ, ac corporis, naturalis, & eius, qui  
præter naturam est, parentis. Ex quibus  
facile liquet hominem duplici semine  
nasci. De his omnibus sic breuiter habe-  
to. Iam inde ab Adamo immutata est

14 THEOPH. DE VITA  
complexio vnā cum natura generatio-  
num in carne, propter importunas & in-  
tempestiuas operationes personarū in  
earum natura cōtraria. Palam enim est,  
neq; melancholiā principiō nobis in-  
genitam, neq; sanguineum, neq; chole-  
ricum, neque phlegmaticum fuisse. Ex  
melancholia enim & cholera, similiter  
ex alijs, nulla vñquam orta est plena cō-  
plexio. Nam semine cōtrario semel con-  
fuso perijt vñā nativa complexio: adeò  
vt nemo cholericus plene ac perfecte  
dici possit. Quod si sola & in gradu suo  
permansisset, porrò etiā apud nos præ-  
celleret cholera. Quare medicus pror-  
sus de quatuor complexionibus nihil  
sentire debet. In Adam enim non fue-  
runt, multò autem minus in eius prole,  
& nec simul consistere possunt ista qua-  
tuor inter se diuersa. Præterea sicut in-  
terueniente partu intempestiuo singu-  
læ complexiones corrumpunt, & id i-  
psum non sine iactura liberorum (quid  
enim est cōplexio: parentis natura est,  
idq; sine calido vel frigido, nigro, vel al-  
bo) sic etiam in eo, quod præter natu-  
ram est, corpore, semen quoddā hære-  
ditariu-

ditarium existit. Et si duo eiusdem complexionis homines copulantur, tamen supernaturale semē, sub quo, cū sapientia, tum vita delitescit, nunq̄ verē coniungitur. Duplex ergo est matrimonii, aliud quod humana ratio persuasit, aliud quod Deus coniunxit. Illud propriè matrimonii non est, nisi quatenus oculi & captus naturæ sinunt. In illo, quanvis vnde cunq̄ dispiciat homo qd sibi ac pueris prætexat, spiritū Dei qui eos copularit, requirat, honestum prætendat, nihil tamen nisi hypocrisis est. Argumento est subinde noua mutatio locorum. Hoc autem quod Deus coniunxit, propriè matrimonium existit, & ad vitam longam refertur, propter diuortiū, quod hoc loco accidere nequit, id quod nemo nisi interuenientibus liberis, intelligit. Propterea multi, vel in utero matris sunt sanctificati. Hi sunt, quos Deus copulauit, vt eam quæ fuit Viræ, & David, quanvis ex diametro, (sic enim sibi humana mens persuadebat) cum iusto & legitimo matrimonio pugnaret hoc. Quia tamen vterq; præter id, quod naturæ erat, quasi hæredita

rio vitam longam adeptus est, propter Salomonem, qui aliunde nasci non potuit, nisi ex Bethsabea, coniuncto David semine, quanvis in eretrice, coniunxit Deus. Adeò quicquid est præter naturam, velut naturæ thesaurus est Deo commissus, id quod apud Spagyricę artis peritos palam est, vitezq; longe mirum in modum consentaneum. Hęc præscribuntur in hoc, ut quae præter naturam sunt physico plenē adpareant.

## C A P. VI.

**D**iuisa igitur dupliciti praxi, alia in physicam, alia in longam vitam, quatenus utriusq; inciderit usus ex fine indicabit physicus. De hac autem vita, quae præter naturam est, qua de in præsentia loquimur, videndum num fieri possit, ut aliqua ratione adsequamur illam in physica vita, quando extra vires, quae secundum naturam sunt, existit, & sub illa longæ vitæ arcana delitescunt. Nam hoc loco palam fiunt impressiones, que præter naturam sunt, ut ut scilicet in supernaturale vitā simul concurredunt, ut ut etiam firmamentū in corpus quod

quod secundum naturam est, cōcurrīt.  
Et si impressiones supernaturales appa-  
reant, tamen obscura est illarum cogni-  
tio. Hinc est cur impressiones ab alijs  
dici cōperūt, ab alijs īcantationes, ab  
alijs superstitiones, ab alijs aliter iuxta  
præscriptum magicæ artis. Nam ex his  
fluit ea, quæ Græcis magyria est, ea præ  
ter impressiones, quas īcantationes &  
superstitiones appellant, aliud nihil tra-  
ctat, & idipsum in corpus supernatura-  
le. Quare operæpreciū est de corpore  
supernaturali in impressionib. suis lo-  
qui. Cūm totā magiā ab Astronomis e-  
tiam in alienum vsum torquerivideant,  
& perperā ab omnibus appellari super-  
stitiones, & pharmaceutriam quan-  
dam. Quemadmodū necromantiam &  
nigromantiam, huc omnino retulerūt  
vt vtracq; idololatria quedam esse creda-  
tur. Quæ, nisi interueniat influentia,  
prosus silescunt. Quanuis enim qua-  
qua versum respōdeant, aut loquantur  
manes, tamen non nisi ea quæ præter  
naturam est, influentia interueniāt, acci-  
dit: id qd perperam impostura Satanae  
credit, quia impossibile hoc sit homini

cū facile assequiliceat, vt in exorcismis  
phantasticorum sp̄irituū fieri vīdemus.  
Nam tota Cabalistica magia hoc in se  
claudit, vt palam faciat corpus, quod  
secundum naturam est, acorpore quod  
pr̄eter naturam existit, & nobis velut i-  
mago insitum, sustineri & administrari,  
vt diuersos & longe dissitos sensus, pu-  
ta Orientalem & Occidentalem æqua-  
les, cogitationesq; incognitas, cogni-  
tas absens reddat. Quanquam difficile  
admodum sit cognitu his, qui huius ar-  
tis Cabalisticæ prorsus rudes ac imperi-  
ti sunt. Cūm ab his etiam qui hanc artē  
apud omnes iactauerunt, lōgē erratum  
sit, id quod translatio eorū ex Hebræo  
& Spagyrorum canones indicant. Qua-  
re de praxi longæ vitæ concludimus in  
hunc modum. Ex influentia supernatu-  
rali non modò incantationes, verūm e-  
tiam imagines, & gamohæas fluxisse.  
Hanc quidem philosophastri in astra  
firmamenti retulerunt, & ex carbonib.  
cœli Martem & Iouem finxerunt, qui  
corpus illud quod pr̄eter naturam est,  
regerent & administrarent: cūm tamen  
non sit ijs porrò, nisi in res mortales,

quæ

quæ prorsus nihil ad longam vitam faciunt. Quare ex supernaturalibus corporibus, non naturalibus elicienda sunt, quibus ad longā vitā utaris. Tota enim vis illa supernaturalis magica est, & omnis magus influentia quæ praeter naturam est, unde cum corpore sub quo vita delitescit, deprehendit. Corpus, inquam, quod in se gerit homo, inuisibile homini, quemadmodum de generazione habetur, &c.

## CAPVT VII.

**V**T autem exacte intelligas ex quibus rationibus incantationes, siue manes superstitionum consideratae sint, & quo pacto hactenus in abusum venerint, ut nec manes dici, nec superstitiones debeant: haec est ratio, quia à proto plasto primum se ducit exordium, qui corpus supercœlestē & mortale, simul in vitam suam longam coniunxit: reliqui vero, qui memorantur, item: id quod ab alijs deinceps aliquatenus subintellectum est, iuxta veram tamen rei natum nondum satis, ut oportebat, cognitum. Eandem enim quoq; artemaggres

si sunt, sed quia longè lateq; errabant, si  
nistro sanè auspicio, hac eis via penitus  
non successit. Vniuersa nanque phan-  
tasia & imaginatio, principale est ac pre-  
cipuum in corporibus supercœlestib.  
Quemadmodum se corpus mortale in  
sua conseruat substantia, sic supernum  
illud, in imaginativa. Nam quicquid ad  
phantasiā attinet, ex eo dūtaxat est cor-  
pore, quin & corpus ipsum est. Vbi sci-  
endum, quod quicunq; eiusmodi cor-  
pus supercœleste aliquo coacturus est,  
probè cognitum habeat oportet, ut i-  
maginationi quidem resistat. Quantò  
enim frequentior est ei corpori cū mor-  
talibus consuetudo, tanto vertiginosius  
(ut sic dixerim) pernitiusq; ea corpus  
comitantur. Hoc superarunt plane pro-  
toplasti illi. Cæterum posteri illorum,  
cūm eius nullam habuerint solidam, ac  
perfectam cognitionem, semetipsos in-  
fatuarunt & seduxerūt, proq; deliris ac  
stultis, neq; id immerito, sunt æstimati.  
Præterea etiam corpus illud supercœle-  
ste, astris quodammodo ex igne non  
vlsq; quaq; dissimile est: ex quibus equi-  
dem inuisibilibus, nebula exurgit visibi-

Ils. Sic etiam proprietas ac natura corporum est supercœlestium, ut ex nihilo planè imaginationem constituant corporalem, quod corpus esse solidum existimetur. Eiusmodi est enim Ares, ut si lupum speculatio referat, lupus apparet. Quod quidem vniuersum simile est generationibus ex quatuor elementis, ex quibus aliquid nascitur, quod primo tamen suo nequaquam æquale est, nihilo tamen ob id minus ipsum <sup>a</sup> Ares in se gestat. Huiusmodi quidem natum & rei ingenium, rudes illi atq; impe ritii ex peruersa artis persuasione toto errantes (quod aiunt) coelo, cum penitus ignorarent, & fundamenti, & ortus eius nescij, manes quasdam esse finixerunt, quas alij quidem fatum appellaverunt, posteriores verò incantationes & superstitiones. Ex hisce nanc supercœlestibus corporibus, tam nigromantia, quam necromantia, suam ducit originem: similiter & geomantia quoq; & pyromantia, hydromantia, & ipsa denique speculia. Ad hunc itaq; modum & virgulta efficiuntur: sic ex hac eadem virtute se clarus quoque vertit, cibrum.

22 THEOPHR. DE VITA  
que & eius generis, quæ de supersticio-  
nibus continentur, innumera alia.

\* Ares est natura prima rerum.

C A P. VIII.

**S**ed ut physicus omnia habeat plenè, ac perfectè videamus exempla seniorum, qui in hoc in magia plurimum laborauerunt, ut adsequerentur vitam longam, & id ipsum citra omnem admissionem Hermeticæ repuerascen-  
tiæ, citraq; artē spagyricæ experientię que solius est corporis. Videamus ergo ætatem Adæ & Mathusalem, qui bona pars sunt principiorum magicæ artis. Quanquam hoc vulgo persuasum est, maximam ætatem habuisse protoplastum, minimum habiturum hominem Postremum id quod efficax argumentum est in scholis eorum, nullo tamen pacto approbari debet, quemadmodum de etate virorum habetur. Tan-  
tæ ætatis Adami causa fuit magia, ex cuius influentia semper vixit. Misera-  
miseram ergo & posteris semper deplorandā mor-  
tem Adæ, non tam propter lapsum, q; pro-

propter scientiam, quæ vñā cū illo intē-  
rīt, qui spiritum summæ vitæ præter id  
quod naturæ erat, solus retinuit. Itidem  
de Mathusalē, qui proximus Adē fuit,  
iudicandum. Quanuis alij non igno-  
biles viri majori ætatis fuerint, vt Mo-  
ses, qui centum & viginti annos cōple-  
uit, at non pro ratione magias, sed poti-  
us physicæ vitæ, cui natura quædam va-  
lida ita fuit cōiuncta, vt istuc ætatis nul-  
lo negotio attingeret. Iterum alij cōplu-  
res, quorum nomina hoc loco referre  
longum est, id quod etiam apud nos, vt  
ad nostra tempora veniam, fieri vide-  
mus, & porro etiam videbimus usq; in  
finem mundi. Alij, qui 150. annos trans-  
miserunt, secundum magiam verò na-  
turam vixerunt. Sunt etiam qui plu-  
ra transegerint secula, quam pro ratio-  
ne naturæ credi par sit: idq; adiuncta vi  
naturæ, quæ plenè in metallis, cæterisq;  
rebus, quas mineralia vocant, existit,  
quæ corpus supra complexionem &  
qualitatē ingenitam erigit, ac cōseruat.  
Cuiusmodi est tinctura, & lapis philoso-  
phorum, quod ex Antimonio elicetur.  
Similiter quinta essentia, quemadmo-

## 24 THEOPHR. DE VITA

dum in eorum præparationibus habetur. Hæc atq; alia complura spagyricæ artis arcana reperiuntur, quæ corpus selecte confectum pristinæ iuuentuti quaquaversum restituunt, & ab omni ægritudine liberum reddunt, id quod huius monarchias peritis constat.

\* Spagyricorum cognitio uera, in experientia erat, & uerificatur.

## C A P. IX.

**E**st insuper alia ratio longæ vitæ conservandæ, quā Mahumet secundum magiam populo suo conscripsit, & multis annis donauit, neque ipsum ex Deo, sed ex ea quæ præter naturam est, influentia. Hanc praxin quia Mahumet tanquam magus imperito vulgo nō sibi, aliquandiu exercuit, nomen immortalitatis meruit. Atheus aliquot annos supra centum seipsum conservauit, id quod sibi vitio versum est, & inter idololatriam relatum. Ex æquo enim cum tribus magis illis Sabæis, qui magica non naturali, vi equorum ad Bethleemitas venerunt, Cabalisticæ artis

tis peritus fuit: non solum in eo quod vi-  
tae longe erat, sed eius etiam, qui praeter  
naturam est intellectus. Hæc omnia ex  
supernaturali influentia quæ corpus re-  
git atq; gubernat, fluunt. Hos magos  
postea sunt secuti, qui se falsò hoc nomi-  
ne penè diuino venditarunt, inter quos  
fuit Hippocrates, qui filiam suā, quam  
maluisset in præsenti forma perpetuò  
permanere, extra naturalem influentiā  
in corpus ab omni natura alienum trans-  
formauit, id quod euīdens argumentū  
incantationis esse potest. Eodem mo-  
do Ierillus longam vitā retinuit, & me-  
tamorphosi naturæ animū adiunxit.  
Istorum origo & scientia suis locis indi-  
cabuntur. Porrò in conseruatione eius  
quod praeter naturam est, corporis, ple-  
ricq; fuerunt æquales Mathusalem, sed  
in transformationib. longè errauerunt.  
Nam operatio eorum in phantasticum  
corpus abiit, propter inscitiam rerum  
physicalium. Quare multi sunt, quorū  
vita longa in nouissimum usq; diem exi-  
stit: fiunt tamē eiusmodi metamorpho-  
ses citra longam vitam. Quemadmo-  
dum in lupis marinis accidere videmus

26 THEOPH. DE VITA  
eiusdem vitæ cum reliquis lupis. Id gen-  
tus animantia, si pristinæ formæ resti-  
tuuntur, mortalitati rursus obnoxia fi-  
unt. Similiter & de corpore phantasti-  
co iudicandum, interueniente cibo, aut  
hominis osculo. Hæc omnia delticæ im-  
pressioni obnoxia fiunt. Priusquam ta-  
men in impressionem delticam abeunt  
non adest mors, nisi quatenus phanta-  
sticum corpus admistum admittitur, id  
quod narcoticam formam gignit, perse-  
uerantem in annum ignis. Præterea vi-  
xerunt multi vitam alienam, idq; iuxta  
præscriptum delticæ nature, inter quos  
fuit Syrus, qui cū de vita laboraret ro-  
busti cuiusdam adolescentis, qui cū for-  
te assistebat, vim atq; naturam attraxi-  
se dicitur, idq; per imaginationē sic est  
consecutus, ut sensus, cogitationes, de-  
niq; animus ipse in aliud transferretur.  
Per hanc imaginationem Archasus vni-  
uscuiusq; eruditī atq; prudentis homi-  
nis scientiam atq; prudentiam attraxi-  
se dicitur. Tanta est vis animi in quo su-  
pernaturalis ille vigor existit, ut aliquo-  
ties ardenti atq; adeò gliscenti concupi-  
scentiæ satisfiat. Hinc est contemptus  
ille

ille imaginū & gamahæarum apud eos  
qui ad internicionem vscq; hac imagine  
sunt abusi. Hinc sunt verba illa, chara-  
cteres, signa, formæ ac figure manuum,  
imprecationes atq; orationes, quæ po-  
tissima sunt causa incantationis, atq; a-  
deò verborum, quæ vulgò ad vulnera  
cæterosq; morbos adhiberi solent. De-  
nicq; quicquid in hanc formam fieri po-  
test, vi eius, quod præter naturā est, cor-  
poris nobis insitī fit. Porrò ex his quæ  
præter naturam sunt, impressionibus,  
erumpunt etiam astra firmamenti, Ve-  
nus & Saturnus, cæteriq; planetæ, ita ut  
ea quæ præter naturam est, influentia,  
astra inferiora regat, ac gubernet. Quic-  
quid ergo in gamahæa & imaginationi  
bus fit, accidentibus planetis ac signis,  
totum hoc quicquid est, ad superiora si-  
gna referri debet. Quare quæ caduca  
sunt corpora, atq; adeò morti obnoxia,  
supernaturali illa vi, à morte liberari fa-  
cile possunt. Donauerunt præterea Ve-  
nus & Saturnus, Mars atq; Mercurius,  
in superiori firmamento cursum suum  
exercentes, plerosq; mortales immor-  
talitate, & idipsum citra ullam operam

humanam, accendentibus imaginacionis  
bus. Ex quibus nō pauci cùm in aquis,  
tum etiam in terris existunt visibiles &  
invisibiles. Quorum aliqui per delicas  
etiam impressiones eò peruerterunt, ne  
que prorsus nymphæ: quemadmodum  
de generationibus animalium habetur.  
hactenus de his. Reliqua quæ hoc loco  
**requiruntur**, alibi in Archidoxis indica-  
bimus. Nunc ad duplicem praxin lon-  
gæ vitæ, in qua, quæ ad spagyri-  
cum attinebunt ple-  
nè dicetur.

DE VITA LONGA LI-  
ber Secundus.

## C A P. I.

**N**s superiori volumine, quę de vita longa tractauimus in genere, hic in specie tractabimus, pura, singularem quandam medendi rationem id quod inter uenientibus arcanis specificis, & id genus alijs fieri consueuit, & extra vitam longam, ut in apoplexia, vulneribus, & id genus alijs. Integrum enim, atq; adeò sanam vitam longæ præferas necesse est, vt innotescat fundamentum, cui omnis valetudo vitā que longa innititur. Est igitur huius secundi libri status, ac summa, ut integra vita conseruetur, neque vñquam in corruptionē erumpat. Hinc est cur primo loco virtus arcani, deinde natura balsami requiratur. Nam vniuersusque arcani comes est sanitas. In hanc sententiam subiectum vitæ longæ accipias, oportet. Bifarium ergo distinximus librum secundum, aut enim firmum est, aut infirmum corpus. Si firmum, in eadem valetudine conseruan-

dum est. Si nō infirmum, aut aliqua ratio  
ægritudinis in illo delitescit, singula ge-  
nera vna cum speciebus ad insignem a-  
liquem canonem medicum, quem Ma-  
gisterium vocant, reducas oportet. Ea  
est singularis medendi ratio, quanvis  
multo iustiore nomenclatura, sed alia ra-  
tione vniuersalisdici possit, propter spe-  
cies, quæ si sub vnum genus congerun-  
tur, iam nō singularem, sed vniuersalem  
curam conficiunt. Tamen communius  
quiddam est id quod in calce huius li-  
belli dicetur, quod omnia genera in v-  
num complectitur, quemadmodū par-  
ticularia species. Cuiusmodi est ratio  
medendæ febris, quæ in se includit syno-  
cham, ephimerā, ethicam, causonā, cæ-  
terasq; species. Similiter hydropiseos,  
quæ asclyten continet, tympaniten &  
hyposarchan. Item guttæ, lethargicum,  
torturam, paralysin, apoplexiam. Ma-  
gis vniuersale autem in se claudit gut-  
tam, febrim, hydropisin, cæterosq; mor-  
bos vniuersos. Estq; illud arcanum, qd  
in archidoxis parrhisijs dedicauimus.  
Et tincturæ quæ leprosum humorē me-  
tallorum pellit, haud dissimiliter opera-  
tur:

tur, fulgetq; ad elementum redactum  
quaquaversum, velut ignis, qui quicq;d  
corripit, consumit. Nec enim species  
vllæ sunt, necq; genera vlla, quin igni cor-  
ripiantur. Huc respexerunt spagyricæ  
artis professores, qui tum demum medi-  
camina corpori accommodanda dixe-  
runt, in ignem redacta. <sup>b</sup> Per hoc enim  
elementum omnis ægritudo consumi-  
debet à quolibet medico. Quanquam  
aliás de auro potabili, similiter de s. es-  
sentia mentio fiat, tamen hīc singula ad  
cheyri, & ad sapphiricum anthos refere-  
mus, id quod non paucos fefellit: inter  
quos est Arnoldus vnā cū æmulis suis,  
qui sublunaria hoc produxerunt. Nos  
in hoc secundo lib. singularem meden-  
di rationem in vtracq; medicina, adiun-  
ctis rationibus, quib. inuenias illud cir-  
ca morborum originem descrip̄turi su-  
mus. Ad finem sunt adiecta cheyri, bal-  
samum, quæ peritissimum huius reile-  
ctorum requirunt.

<sup>a</sup> Medendi ratio singularis per quæ fiet.

<sup>b</sup> Ignis ut omne lignum, sic uniuersalis medicina  
morbos consumit cunctos.

De Podagra. Cap. I.

**T**RIA sunt quæ ad perfectam podagræ curam requiruntur: Purgatio, aperitio, deinde cura, in hanc sententiam. Principio purgetur omnis podagricus plena, ac perfecta purgatione, & id ipsum arcano<sup>a</sup> corallino, quo interuenienter eliciuntur fluxus podagræ, adeò ut ne locus porrò relinquatur podagræ. In hoc corallino quod ex essentia auri est, tanta vis, ac virtus inest, ut eam, nisi hac purgatione à medico deprehendi impossibile sit. Fiat ista purgandi ratio sexies, aut septies pro vetustate siue duritia, siue natura podagræ. Porrò si superessunt reliquiæ, aut podagricus aliqui infirmior est, quam qui purgatione hanc ferre possit, aperiatur in hunc modum: Illic ubi centrum podagræ delite scit, aperi, & id ipsum interueniente<sup>b</sup> balcali spirituum. Sub hanc aperitionem continuo oritur tumor, subtus quem quicquid centro inferuit, confluit, & in abiectione<sup>c</sup> æschpharæ erumpit. Porrò ubi fluxus podagræ desist, tum demum integrum curam, atque adeò consolidacionem

nem aggredere, scilicet cataplasmatis,  
quæ sunt ex mummia. Hæc sunt quæ po-  
dagram medicantur. Quanquam liquor  
ex mummia temperatus, si morbus re-  
cens est, necq; indurauit, citra aperitio-  
nem etiam curet, vi tamen nativa poti-  
us hoc sit, ut per specificam naturā. Ter-  
tia ratio medendæ podagræ est per mū-  
miam, mummiam reductā in ultimam  
materiam alcalizatam & liquorem de-  
mummia, in hanc sententiam: Indies po-  
dagricos artus inunge, idq; ad viij. aut  
viiij. hebdomadas pro ratione ac natura  
podagræ. Triplex ista medendi ratio,  
quicquid mutilum, quicquid denique  
mancum est, pristinæ sanitati restituit.  
Noua hæc est, certò scio pellendi mor-  
bi ratio, maximè apud insulsoꝝ & medi-  
cos indoctos, & contra canones eorū,  
ut isti cauillantur qui de medica profes-  
sione præter inanem titulum, cæterum  
nihil prorsus reportauerunt.

<sup>a</sup> Arcanum corallinum, est color corallorū à sub-  
stantia separatus & abstractus per spiritum  
uini.

<sup>b</sup> Alcali, sal est excoctum à lixiuia.

<sup>c</sup> Aeschphara, ist ein ranft fleisch ges-  
dōc.

<sup>d</sup> Liquor ex mummia est aqua, quæ post digestio-  
nem distillando erumpit ex carne hominis.

## De Gutta Cap. II.

**A**D propellēdas ægritudīnes quæ oriuntur ex Gutta & speciebus guttæ, cuiusmodi sunt morbus lethargicus, paralyſis lingue, membrorum: &c. apoplexia, oris tortura, & aliæ species, requiriſt cura generalis. Nā in his omnibus nihil aliud præter vim naturæ consi- derari oportet. Neq; purgatio, neq; sim- plex confortatiua, neq; vnc̄tio, neque aliud quicquam, in quo tantopere labo rauerunt, cùm Valeſcus de Taranta, tū etiam ij qui ante Valeſcū fuerunt. Prin- cipiò igitur obſeruandum, in qua vale- tudine naturæ vis illa qua guttæ consul tum volumus, reperiatur. Priusquam ta men ad illa perueniamus, ſciendū, gut tam, quod ad quantitatēm attinet, non plus ſcrupulum vnum in ſe contineri, a- poplexiam ad ſcrupulum i. nō prorsus ascendere. Nihil igitur eſt quod obſer uemus tam prolixos Auicennæ cano- nes, cùm pauca admodum de ſubstan- tia

tia in se habeat moribus. Neq; fieri potis est, vt illis loca atq; dolores comprehendantur. Quare ad hunc modum ador- nari debet confortatiua, quæ scilicet na turam expellat, & ex sui natura vincat. Quoties enim gutta cannas in pulmo ne præfocat, toties apoplexia vnà cum præfocatione continuò sequitur, quam non nisi arcana tollunt. Hinc satis lique reputo, vel tantillum in re medica my sterij pluris fieri quam vniuersas Auic formas, quam vniuersum myropolium quam vtraq; lumina & præpositum, vnà cum insigni experientia, quam The saurus præscribit, quibus hactenus pe né vniuerso orbi illusum est. Sed vt redeamus ad arcana: Duplex est arcanū, aliud vitriolatum, aliud mercurius auri, quē vulgus Salernensium medicorum Aurum potabile falso appellat, adducti opinione Hermetis, quam suæ igno rantiæ prætexunt, adeò ut horizontem pro auro potabili acciperet, egregijs sci licet homines, qui Hermetem ex eoru inscritia iudicant. Cætera arcana extrin secus usurpanda, cuiusmodi sunt, balsa mum, aloes, myrobalanorum, chebulo-

rum, belliricorum, indorum, &c. in nucha sunt administranda. Hæc sunt quæ Arnoldini & Rupiscissani nunquā sunt assecuti, qui in additione extractionis elementorum, quæ nulla sunt, frustra sæpius laborauerunt. Qui ergo in hac re medicus insignis esse studeat, animum ad separationem spagyrorum ad iungat, idq; propter extractionem mysteriorum. Alioqui fieri nequit, ut consulatur cū paralyſi, tum speciebus quæ sunt de gutta. In hanc sententiā propelle contractionem. Nam vrcunque morbum vi quadam sanari necesse est. dosis vitriolati, grana tria, dosis Horizontis, grana quatuor.

## De Lepra Cap. III.

**S**ingulæ species<sup>a</sup> lepræ, Leonina vi-  
delicet, Elephantia, Alopicia, Thy-  
ra, Morphæa, & Vndimia ad ean-  
dem medendi rationem, quæ est per  
regenerationem, referuntur. Omnis  
enim lepra frigidior existit natura, atq;  
præpinguior: neque fieri potest, vt un-  
quam cum medicaminibus cōcilietur.  
Quod enim est oleum ad aquam, hoc  
idem

idem est medicina ad lepram: quare ple  
nam atq; perfectam curā aggrediamur  
oportet propter præparationem rege-  
nationis, & idipsum iuxta præscriptū  
spagyricę tincturę, in hunc modū: Prin-  
cipio mundanda sunt metalla leproso-  
rum interueniente tinctura, in qua du-  
plex tinctura, & duplex lepra delitescit,  
rubea scilicet & alba, hanc lunarē, illam  
solarem appellant spagyrici: prior ex  
tinctura solis, posterior ex tinctura lu-  
næ accipitur. Hic non puto operæpre-  
cium esse obseruari ea quæ veteres de  
origine lepræ scripserunt, cùm eadem  
praxis adferat. Quare hoc loco <sup>b</sup> spagy-  
ricę agendū est, neq; prorsus obseruan-  
dum quæ de origine lepræ à veteribus  
scripta sunt. Porrò qui velit spagyricæ  
cōsulere leprę, videat ne cū his qui mer-  
curium solis (quē pleriq; spagyricorum  
primā materiā appellant) aurū potabile  
falsò crediderūt, aberret. Quibus impo-  
suit euentus, quemadmodū Archelaus  
haber: nos aut̄ hoc loco asserimus rubeā  
leprā à mercurio solis, albā à merc. lunæ  
sanari. Hoc opus, hic labor est, ut mercu-  
riū exactè conficias. Postremo & si mer-

38 THEOPHR. DE VITA  
curius ad tingenda metalla non prorsus sufficeret: valeret tamen in corpore, ut illud sanitati restitueret. Sunt praeterea alia quædam arcana, <sup>c</sup> quorum alibi de vita longa fit mentio, quæ lepram ex æquo tollunt.

<sup>a</sup> Lepra curatur per regenerationem.

<sup>b</sup> Spagyros est qui effectus inquirit, cōmonstrat,  
et ex his rationem.

<sup>c</sup> Libro 3. cap. 6.

De Epilepsia Cap. IIII.

**P**lena atq; adeò perfecta medendæ epilepsiaæ ratio, bifariam fit, neque ipsum sine peritissimo huius rei viro propter arcana & praxin chirurgicam, quæ epilepsiaæ inseruiunt. Princípio deprehenduntur arduæ quædam, atq; adeò supernaturales essentiaæ, idq; per præparationem, ut in vitriolo, camphora, spodio, monocerote, & id genus alijs, quæ citra hunc captum subtiliter nullo pacto eò redigi possunt: Maximè verò bona pars in narcoticis, & quædā alia, quæ extra naturam & essentiam suam naturalem influentiam in paroxysmo

smo epileptico vim suam exercet, acha-  
bent: cuiusmodi esse potest pectoria, san-  
guis vna cum membris in quibus oritur  
morbis. Hæc omnia, ut vt sunt, curan-  
tur ad hunc modum, partim iuxta phy-  
sicam rationem, partim iuxta chirurgi-  
cam, nec id ipsum sine subtili captu spa-  
gyrorum. Quod ad chirurgiam attinet,  
duplex oratio est, prior ad præparandum  
emunctoriū caducum, posterior ad eli-  
ciendum humorem epilepticum perti-  
net in hanc sententiam: Aperi cranium  
idoneis ad id instrumentis: Deinde ar-  
gentea canna suo loco impositum con-  
solida, vitæcū pristinæ restitue. Iam o-  
mnis morbus caducus eiusmodi emun-  
ctorio adornatus in paroxysmum abire  
nequit. Hæc de priore via. Nunc ad po-  
steriorem. Resolute membrū epilepsia  
corruptum, aut superiore partē mem-  
bri, puta, ligamenta, arterias in circuitu,  
idcū corrosivo narcotico, sale corroden-  
te citra dolorem usque ad ossa. Deinde  
rursus consolida: nascuntur continuò li-  
gamenta narcotica, arteriæ, denique ca-  
ro ipsa, quæ porrò non sinunt morbum  
in paroxysmum erumpi. Hactenus de-

40 THEOPH. DE VITA  
ratione chirurgica. Nunc ad physicam:  
Recipe oleum vitrioli correctum & aurif-  
ficatum, vel per phlegma forma circula-  
ri temperatum, vel per oleum rubeum,  
sive viride, quod sub<sup>a</sup> colcothar delite-  
scit: utrumque liberat à morbo caduco,  
idq; præter eam ætatem, quam Hippo-  
crates præscribit. Atq; hinc colligitur  
Hippocrat. vñà cum interpretibus suis  
non satis intellexisse ea quæ epilepsiam  
pellunt. Porrò inuncta pars mercuria-  
lis balsamo, quod est de hederibus, idq;  
post paroxysmum, similiter morbū pel-  
lit. Præterea inunctum occiput balsa-  
mo eleni, & id ipsum in vehementissi-  
mo paroxysmo, morbum ex æquo sa-  
nat. Sunt insuper alia quæ huic morbo  
non parum conferunt, vt arcanum san-  
guinis, cæteraq; membra. Sed illa, quia  
quædam sunt quæ desiderantur, præteri-  
bimus, & in his solùm quæ prima ac o-  
ptima sunt, immorabimur.

<sup>a</sup> Colcothar uitriolum est calcinatum rubeum.

De Febribus Cap. V.

D E febribus breuiter sic habeto:  
Principio fiat purgatio febrilis,  
dein

deinde cura specifica, & minutio causalis, ita ut diaceltatesson præcedat secundum medicamen. Nam hac purgatione pellitur omnis febris in materia peccante. Porro si non dilataſt morbus, iam neq; cura, neq; minutio requiritur. Plerunq; enim diaceltatesson, integrum cum complectitur. Si in membra spargitur, sequitur continuo opopyron Laudani, id quod febrim vnam cum dilatatione propellit. Minutio autem siue saluatellæ, siue cephalicæ, siue ea quæ per spinam dorsi fieri consueuit, materiam peccantem in sanguine, idq; intra cutem & carnem tollit: quare hoc loco tria sunt, quæ sub vnam medendi rationem claudūtur, singula per se perfecta. Postremò ne plus minutie, quam par est, adhibeat medicus, diligenter obseruet quid dilatum, quid non sit dilatum. Nolim quenquam hoc loco deterrant canones medicorum qui à nobis dissentiunt, neq; enim id permagni referre arbitror. Et quotumquæ reperias eruditum medicum, qui his canonibus immoritur;

## De Apostematibus Cap. VI.

**P**rincipiō de Apostematibus obser-  
uabis duplicitia esse apparata. Quæ-  
dam sunt quæ vñā cū <sup>Apostemata</sup> paroxysmo mor-  
tem inducunt. In his plurimum labora-  
runt medici, dum imponerent homini-  
bus. Miseram ac credulam nationem  
mortalium, tam apertis nugamentis,  
quæ de epidemījs & id genus alijs appa-  
ratibus annotata sunt, passa est se circum-  
ueniri. Alia sunt quæ paroxysmum ci-  
tra mortem adferunt, ea medicinę subij-  
cimus. Vt rāq; in Anthrace cōcurrunt,  
similiter in sapphiro, in carbunculo, in  
pleuresi, in peste, in bubone, & alijs cō-  
pluribus. In quibusdam nulla mors in-  
est: Vt in cancre & id genus alijs apo-  
stematis, quæ in mammis mulierū sunt.  
In his omnibus sequitur cura in hāc sen-  
tentia: Præter Sonath, cui virtus expul-  
siua inest, cæterum nihil recipere. Huius  
enim virtute ac vi, singula aperta pellū-  
tur. Hoc resoluit, mitigat, deniq; expel-  
lit aperta ex corde. Vnā ergo adsit opor-  
tet chirurgica praxis, interuenientibus  
maturatiuis, quibus in<sup>2</sup> emunctoriū  
redi-

redigas apostema. Maturatiua autē cū attractiuis ita sint coniuncta, vt expulsiuum attractiuum sequatur. Directo igitur Sonath in virtutem suam expulsiam sequitur thyriaca, sub qua delitescit arcanum in omni veneno propter virtutem usurpandum. Reliqua experientia vnde cunque corrosa relegamus ad eos, qui se passim apud omnes homines venditant, & in hoc solū incumbunt, vt gloriolam aliquam per fas & nefas sibi aucupentur.

<sup>2</sup> Emunctorium appellat locum, in quo centrum morbi delitescit.

### De Hydropisi Cap. VIII.

**D**VO sunt quæ ad curandam hydropisim requiruntur: Specifica purgationis, & specifica tumoris. Elice principiò essentiam ex Alandalahal, vnam cum composito: Deinde confunde cū aquila præcipitata, porro administra purgationem pro ratione morbi, & id ipsum tantisper dum abit morbi origo. Interim administra etiam indies essentiam tartari, vitrioli, & diacubebæ. Sub

44 THEOPHR. DE VITA  
hęc adorna cataplasma ex rebus colum-  
barum in aceto rosaceo. Deinde impo-  
ne, dum prorsus consumatur morbus.  
Post hęc insequitur summum specificū,  
spiritus vitæ ex auro extractus, quo ali-  
quandiu etiā uti licebit. Energia enim  
atq; adeò in nature sanari vult hydrops,  
quæ tum demum inquiritur, cùm iam  
causa morbi desit. Varia ac multa sunt  
huius morbi specifica, quorū maxima  
pars hoc loco à nobis est annotata. que  
super hac re empirici in medium adfe-  
runt, credo nemini non esse manifestū.

<sup>2</sup> Aquila precipitata fit ex auro.

De Dissolutis Cap. VIII.

**I**N dissolutis verò summum atq; adeò  
excellentissimum medicamen in au-  
ro est, & in laudano perlato. Primum  
verò ac summum notabile apud medi-  
cos veros puto, de cōfortatiuis esse de-  
bet. His enim indiget natura in hoc  
morbo, quibus porro sequatur constri-  
ctiū. Nam per hunc modum eiusec-  
modi morbus, siue hypofarcta, icteri-  
tia, seu asclite, expellit. Descriptionē  
autem

autem in confortatiis talem habeto. Ex auro non planato sit, nec permisto realia incongrua sit<sup>cqz</sup> per aethanar & rubetiam cum administratione rubeæ essentia. Dosis ex tribus guttis componitur, vel secundum dispositionem subiecti. Ex hoc auro omnes disenteriæ species, ictericie, & diarrhoeæ, atq; alijs fluxus vētris, vel mineralium iuxta ritum medicū optimè curantur. Sed cura ex constrictiis talis est: Recipe olei martis ex croco drachmam vnam, laudani scrupulū semis, thyriacę drachmam vnam semis, mummię scrupulus i. s. fiat bolus, drachma semis est dosis. Hanc obserua regulam in omnibus dissolutis confortatiuum esse administrandū: Quia in principijs & cacetia summa deliberatio, alias per constrictiua in secundam generationem alterius morbi abit.

<sup>a</sup> Laudanum Theophrasti curans dissolutor<sup>e</sup> desperatos, sequetur in libris Paragraphorum.

## De Vermibus Cap. IX.

**G**enera quoq; vermium quo cunq;  
modo nata, vel ex spermate infusa

so, vel alieno, siue spermatis resoluti, siue putrefacti, seu transuersi in suis regionibus, aut ex re minerali putrefacta, vel chimo, aut eiusmodi, etiam qui vermes de matricis natura sunt. Omnia horum cura, res debet esse specifica, nequam naturalis, id est in hunc modum: Recipe <sup>a</sup> porosum madonnae ana manipulum, liquefacito in bitumine, & super fundum emunctoriū huius generationis applica: pellit enim vermes tam dorsum, quam sursum, nempe iuxta orificium emunctoriū illius. Quod si autem emunctoriū pro egressione non foret aptum, aut locus cōpressus vermes neca cum spongīs syluanīs, & putrefactum pelle per centauream, vel per pefariū propter matricem, vel clysterū propter intestina inferiora, vel per os propter stomachum & intestina superiora. Optima verò est centaurea cū rosa commista, cum additionibus iuxta processum medicum ex colodio, vel ellenio adiuncto,

<sup>a</sup> Expulsio vermium.

## De Cancro Cap. X.

**P**orrò cācī medela sic se habet: Primum est rei renouatio, id est venarum separatio ab impuris. Hius separationis medicamē est tale. Accipe expurgati althoi à minera plumbi vnc. i. parthenionis succi vncias sex, plantaginis vncias decem, commisceantur cum modico <sup>2</sup> alcohol vini, administra de sexta in sextam. Madefacito periculum panno, vel spongia ex aqua parthenionis superposita: his peractis post triduum applica oppodeltoch ex preparatisim plicibus confectis in cerotum mellinū absq; alumine rocho, donec in mansuetum dolorem abit, & declinet à rubidine. Tandem commune nostrum oppodeltoch super locum applica à duodecim horis in sequentes usq;. Porrò si lassuum æstiomenum occurreret, cum liquoribus assignatis expelle, reitera processum à centro invlceris perditionem. Hæc curæ descriptio, fistularum, canceris ex hæmorrhoidibus, ex mammillis, prauæ tentiginis, æstiomenæ prauitatis vera medicina est.

<sup>a</sup> Alcol, aut alcacol, est unum ardens rectificatum.

## De Syronibus Cap. XI.

**S**yronis cura ex hac fit sententia.  
<sup>a</sup> Spermiolæ liquefactæ cape cum  
 mucilagine lumbricorum de nitris,  
 & oleo squamino, facito ex his viscum  
 in loco frigido, utere sic: Inunge locum  
 & cataplasma eius desuper impone ad  
 triduum, dehinc absterge locum, cata-  
 plasma cutem, & syrones depone, ac op-  
 podeltoch meloum administra ab occa-  
 su in auroram, quo facto, aduoca mor-  
 bum in balneum albugineum, toties, do-  
 nec album illud membrum fixumque ap-  
 pareat. Hæc cura in syronibus, cicatrici-  
 bus, speciebus morpheæ, cutis leprose,  
 summa ac perfectissima est, quin & co-  
 tam vngulam, pruritum, scabies, & pri-  
 mæ species alopeciæ tollit, pelliisque rosa-  
 ceam guttam.

<sup>a</sup> Spermiola est sperma ranarum.

<sup>b</sup> Meloes sunt schwartzæ käferli im summer weis-  
 mannis terirt, sunt suavis odoris.

## De Pustulis Cap. XII.

In speciebus Gallici morbi, tria obser-  
vabis, purgationem, curam, & con-  
seruationem. De quibus haec paucula  
notato. Purga principiò pustulosum ce-  
niotemio, quo pellitur causa morbi, v-  
na cum materia peccante. Cauendum  
autem ne interim à dosi & quantitate  
huius purgationis longius, quā par est,  
aberres. Porrò si pustulæ adhæserint  
cuti extrinsecus, aut alioquin dolorum  
etiarum altius infederit corpori, inun-  
ge oleo quod est ex realgare, & conua-  
lesceret egrotus. De ulceribus autem, no-  
dis, tuberibus, siue extra corpus, siue in  
corpore, quæ inde exoritur, iuxta præ  
scriptum praxeos, quæ de ulceribus est,  
agito.

## De Ulceribus Cap. XIII.

Principiò quicquid est fluxuum, aut  
humorum, si ad emunctorium erū-  
pit, ad eandem medendi formam redi-  
gitur in hanc sententiam: Mortifica pri-  
mum, deinde mundifica, postremò con-  
solida. De mortificatione sic habe: Reci-

pe alcali quod est ex realgare. Hoc quicquid in corpore corruptum est ac mancum, mortifica. Mortificatum ab <sup>a</sup> æstphara libera gummi, liberatum pristine sanitati restitue, & id ipsum interueniente <sup>b</sup> mummia, quanquam sunt ulcera quædam quæ prorsus non indigent mortificatione. Alia, ut æstiomena mortificationem vehementius etiam desiderant. Tamen hæc omnia, ut vt sunt, chirurgico existimanda relinquimus. Sunt insuper alia innumera medicorum recepta, quibus, quia non semel hominibus imposuerunt, suisq; inuentis perierunt n*j*, qui hæc commenti sunt, non video cur ut aris. Hæc de ulceribus. Purgationem quæ propter conseruationem corporis iure prima esse debet, prudenti medico cōmitto in eam sententiā quā supradē pustulis præscripsimus.

<sup>a</sup> Ἀστίφα, id est ignea uenundatum.

<sup>b</sup> Mummia est ipsa caro humana.

De Vulneribus Cap. XIII.

**T**riplex est ratio sanandorum vulnerum. Naturalis, ut balsami: Specifica,

cifica, ut brassidellia, characteristica, ut magorreo. Priusquam tamē ad illa perueniamus: principio, quæ miraculi vice erunt his qui harū rerum imperiti sunt, indicabimus, neq; genus, neque locum vllum in vulneribus esse obseruandum, id quod veteres disputatione admodū prolixā differuerunt: Num videlicet ea sint sananda nēcne, quæ sunt cerebri, intestinorum, item vesicæ, & id ipsum hac ratione, quia videmus cū confessa, tum alio modo confecta vulnera, illic vbi vītæ locus esse nequit, nihilominus tamē consequi mortem. Quare de mortiferis vulneribus, nihil prorsus dicemus in præsentia, cùm sua sponte sese offerunt illa. Porrò hæc prima cautio est, ne chirurgicus ex eo, quod medicabile vulnus est, immedicable atq; adeò mortiferum faciat. Hoc igitur opus, hic labor est, vt probè agnoscas triplicem hanc sanandorum vulnerum rationem, longè saluberrimam, neque interim audias eos, qui alicunde rogant, nescio quę vanissima commenta, imò precibus etiam à barbitonforibus media stynis, cæteris que id genus hominibus leuissimis, cō

THEOPH. DE VITA  
tendunt, inter quos sunt Landfrancus,  
Pet. de Argilato, qui multa ac varia, vel  
nuce non aestimanda, de Vulneribus in  
vnū congererunt. O verē pileatos do-  
ctoreulos, qui præter pileolū subruberū,  
& titulum, cæterū nihil insigne geritis,  
qui ex pumice Nilum exundantē peti-  
tis. Cæcus sequitur cæcum, & cæsus ca-  
scam. Hinc est, cur n̄, qui montē Pestula-  
num sunt secuti, triplicē hanc medicinā  
quæ est de Vulneribus, in alienū usum  
verterint, Naturalē scilicet, quæ balsami  
est, in putrefactionem præpostere. Spe-  
cificum ad ea loca, quibus minimē com-  
petit, non sine periculo torserunt. Cha-  
racteribus ita sunt abusi circunforanei,  
ut in contemptū prorsus abierint. Nos  
autem quæ de his verē habentur, aperte  
trademus in hanc sententiā. Balsamum  
naturale potionis vice administratum,  
aut alioqui vulneribus infusum, nihil a-  
liud est, nisi hypericō, centaurea, & pru-  
nella, quæ nō modò ea quæ extrinsecus,  
sed etiā quæ intrinsecus sunt, vulnera cu-  
rat, & hoc propter virtutē, quæ in balsa-  
mo existit. Quicquid aut̄ est de specifi-  
co, multis partib. superat balsami natu-  
ram. Nam collatenna sub potionē admi-

nistrata, cū externa, tū interna vulnera sanat, propter virtutem quę adeò firma atq; adeò fixa inesse solet, & tantisper operatur, dum vulnus est apertū. Brassa-tella, si modò attigerit vulnus, necq; por-rō opus habet aliq; medicamine. Sunt præterea alia cōplura specifica, quæ ad eundē modū operant: necq; idipsum ad xij. aut xxiiij. horas. Horum tanta vis est ut fixū, atq; adeò perpetuū medicamen-tum subministrēt, vel semel usurpata, & idipsum in finē vscq; vulneris. Hoc loco experimenta specifica recensenda erāt, de quib. quia in Archid. mentionē fecimus, præterendū censeo. De characteri-bus, q̄ tertia forma est, sic habeto. Chara-cteres, benedictiones, cæteraq; id ge-nus, vulnerib. præsens, absens, adiūcta, singula vulnera sanant, & idipsum citra omnē synoniām. Sunt etiā quæ synoniā albā sī sunt, cuiusmodi est staraphaxat: alia sanguinem, vt fīst&c fīss, & id genus alia innumera, quæ alibi in Archid. recē-sentur. Hæc sunt vel sola, quę medicum nobilitat. Quare in hac triplici sanando rū vulnerū ratione generalē curā, iuxta p̄scriptū adhiberi oportet, necq; interim eos gyniuerso orbi imposuerūt, audire,



DE VITA LONGA LI.  
ber Teritus.

## CAP. I.



OSTQVAM DE particularib. arcanis, quæ corpus morbis confectum pristinę sanitati restituunt, diximus, inde vbi superio ra delierint, auspicabimur. Ut ea quæ in superioribus librīs tradita sunt, tandem à nobis absoluantur, & corpus physicū tanquam balsamum conseruetur, & si particularia arcana, & huius 3. libri mā teries ad idem corpus referuntur: Porrò etiam vnā, eadem c̄p p̄paratio existit: tamē praxis in hoc tertio elixiro alia est à singulari illa medendi ratione. Quare in hoc tertio libro primas obtinent, flos cheyri, & anthos. In hoc enim absoluuntur elixiridum arcanum, & idipsum vi, atc̄ adeò virtute totius quintę essentiæ. Principiò igitur, vt singula clarius innotescat, quid quinta essentia sit, paucis indicabo in hanc sententiā: Qua-

56 THEOPH. DE VITA  
tuor elementa procreat natura, ex quibus temperata quædam essentia conficitur à spagyro, quemadmodum flos theyri exprimit. Hoc loco parui referre arbitror, quæ super hac re ars Lullij habet, cùm plus sedecim pedibus, ut dici solet, ab vniuersa monarchia, quam archidoxa præscribunt, aberret. Aliud n. est extractio, aliud confortatio, aliud melioratio, ut istorum hominū vocabulis utar, quorum Raimundus in eo libel lo qui inscribitur, Ars Lullij, meminit, & ex his falsò quintam essentiam aestimauit. Hæc quia magis sunt argutæ, quam vera, silentio præteribimus. Flos aurii autem, flos amethysti, deniq; quicquid est diaphineæ naturæ, margazarum, sulphurearum, cachymiarum, postremò etiam quicquid est alumino-  
forum zerebothinorum, & id genus aliorum, quæ aqua gignit, carabarum, corallorum. Hæc, inquam, omnia quintæ essentiæ sunt obnoxia, pro ratione tem perationis, quæ interueniente corruptione elementorum à spagyro fieri consuevit.

<sup>2</sup> Spagyrus est qui non auctoritate, sed propria experientia rerum naturas habet.

Cap.

## C A P. II.

**P**orrò totius rei summa in hoc est,  
(quando ea quæ hoc lib. de elixi-  
ro dicuntur, singula ad vitam longam  
sunt referenda) ut vniuersa natura redi-  
gatur in spagyricam misturam, seu tem-  
perationem, quæ nihil aliud est, præter  
naturæ bonitatem, cui nihil quod cor-  
ruptibile est, nihil deniq; aduersi inest.  
Et si alia ratione, ac varia eadem naturæ  
bonitas deprehenditur in tinctura iux-  
ta præscriptum naturæ, quæ in lapide  
pliylicorum existit: in antimonio secundum  
corui naturam, in sulphure iuxta  
Lunariae effectum, & in id genus alijs.  
Tamen in his omnib. est vna eademq;  
temperatio, quæ inter metalla sub Mer-  
curio delitescit: (Mercurium dico, qui  
omnib. metallis inest) inter gēmas, sub  
crystallo: inter lapides sub zeloto: inter  
liquores, sub carabe: inter herbas, sub va-  
leriana: inter radices, sub peucedano: in-  
ter amara, sub vitriolo: inter silices, sub  
antimonio. Porrò sicut Merc. metallis  
inest singulis, sic antimonii silicib. vitri  
•lū sali, melissa herbis. Hæc sūt nomina

elixiri temperati. Obseruandum igitur  
in elixiris insequentibus sulphur eorum,  
quæ isti mineralia vocant, quintam essen-  
tiam esse, mercurium metallorum, ex qui-  
bus elicetur natura corporis. Nam chey-  
ri Veneri præstat, anthos Marti: quorum  
vis ac natura est, non tam ut morbos pel-  
lant, quam ut corpus illud vitæ longæ  
quæ inferiori influentiæ obnoxia est, re-  
seruent. In hanc sententiam elixira lon-  
gæ vitæ, multis ac varijs nominibus co-  
prehendi volumus, cum una eadem  
vis sit eorum: Nobis autem (si forsitan  
raris hanc tractandi rationem) visum est  
interim ludere in vocabulis.

## C A P. III.

**E**X universis elixiris summum ac po-  
tentissimum est aurum. De hoc i-  
gitur principio tractabimus: Nam  
huius rationem si noueris, aliorum que  
in corpore separantur noueris. Reliqua  
que à corpore non separantur, infra, v-  
bi de vino mentionem faciemus, indica-  
buntur. De elixiro igitur auri quod ad  
praxin attinet, sic habeto: Resolute au-  
rum

rum vna cum omni substantia auri corrosiu & id ipsum tantisper, dum fiat idem cum corrosiu. Neq; interim abhorreat animus ab ista tractandi ratiōne: Auro enim quatenus aurum est, corrosiu præstat, & citra corrosiuū mortuum est. Quare quītam essentiam auri, citra corrosiuū inutilem esse afferimus. Sequitur ergo, resolutionem de nuō per putrefactionem esse remouendam, & si corrosiuū tenacius etiam adhæreat: nam si tanta vis auri est, ut corpus seruet, ac liberum reddat ab omni ægritudine, neque id corrumpi sinat, quantō magis se ipsum, idq; citra omnem infectionem: Corrigit enim, ac emendat quicquid non est syncerum. Corrosiuū igitur in auro nullo pacto corrosiuū appellari debet: Vis enim arcā superat omne venenū: Nam omne realgar morit in elixiro auri, & in tincturam abit medicinæ præstantem. Atqui in hunc modum dignitur, aurum potabile post putrefactionem. Hanc dosim, seu maius harmoniā quandam præscribit per uulgata spagyrorum praxis, Postremo obseruabis de elixiro,

Cūcumq; confertur elixir, idē ita transmutat, vt haud dissimiliter sibi fixū porrò maneat.

*De Perlis Cap. IIII.*

**S**ed ut ea quæ de quinta essentia diximus, clarissimus elucescat, obseruan- dum, nihil magis esse auro propin- quum perlis. Quatuor igitur elementa, quæ perlis insunt eadē ratione cū auro in temperationē redigas oportet id qd' verè existit quinta essentia citra amissio nem substantiarum. Porrò si iuxta præscriptum perlas in quintam essentiam transmutare velis, pro ratione quintæ es- sentiæ age, neq; quicquam immuta pre- ter principiū, in quo vltimam materiam quæ in cōficienda quinta essentia solis, prima materia existit, adiungi necesse est. Ea ex eiusmodi recepto elicetur. Principiō redige limonem in liquore, denuo reclinatum, in quo perlæ calcina- tionem arripiunt, exiccatæ resoluūt, quæ resolutio in elementum, cui prorsus nulla complexio inest, erumpit. Est enim huius vis vniuersa, similis quintæ essentiæ. Nolim hoc loco admittas ra- tionem

tionem extractionis, quam Archelaus  
præscribit, neq; id genus alias separatio-  
nes spagyricas: Nam superior transmu-  
tatio non modò ea membra quæ debi-  
lia sunt pristinæ valetudini restituit, sed  
ea etiam quæ valida sunt, ac robusta, in  
codem vigore conseruat. Hinc est cur  
perlæ pluris, q̄ reliqua spermata fiant:  
inter quas longè prestantissimas ostrea  
rum esse affirmo. Quanquam hoc loco  
non minimas partes ferat, quemadmo-  
dum Archidoxa habent. Homunculus  
quem necromantici Alreonam, philo-  
sophi naturales mandragorā vulgò ap-  
pellant: tamen non nisi in communem  
errorem abiit, propter chaos illud, quo  
isti obfuscauerunt verum homunculi-  
sum. Origo quidem spermatis est: per  
maximam enim digestionē quæ in ven-  
tre equino fit, generatur homunculus,  
similis ei per omnia, corpore & sanguine,  
principalibus, & minus principalib.  
mēbris à quo prodijt. Quare hoc loco  
præteribimus huius virtutes, quan-  
doquidem non ut perlæ, apud  
huius rei peritos, in-  
notuit,

## De Extræctione quintæ essentiæ ex herbis.

Caput. V.

**S**Vpræmentionem fecimus quintæ  
essentiæ, quæ citra ullam extractio-  
nem fieri debeat, id quod in hanc  
sententiam accipias oportet. In Elix-  
iro, quo de in præsentia mentionem fa-  
cimus, quinta essentia nullo pacto elici-  
potest ex herbis citra extractionē, pro-  
pter diuersitatem essentiārum, quæ vni  
substantiæ insunt. Hæc ita sunt segre-  
ganda, vt herba maneat herba, & quin-  
ta essentia maneat quinta essentia. Etsi  
in qualibet herba sunt quatuor elemēta  
duplata: quinta tamen essentia nō adest  
duplata, sed altera pars solūm. Alteram  
quæ est substantiæ religamus ad eas ar-  
tes quæ particulares sunt, & quod elixi-  
ri est tractabimus: id quod exēplo me-  
lissæ clarissimū innotesceret. Dīgere melis-  
sam philosophico mēse in<sup>a</sup> athanar, de  
inde ita separa, vt duplata elemēta seor-  
sum appareant, cōtinuò elucesceret quin-  
ta essentia, quæ elixir est vitæ. Similiter  
vino generoso, & id ipsum varie, in nepi-  
ta acerba, in lollio, lutea: in Tincio, ni-  
gricans:

gricantis: in lupulo, tenuis ac alba: in cuscute, austera: in alijs similiter iudicandum, iuxta experientiae præscriptum. Porro extracto spiritu isto, & ab altero separato, Ecce vītū salutis, in quo philosophi aliquot secula obnixē laborauerunt, nihil tamen vñquam sunt asscuti. Et bona pars eorum qui Raimundum sunt secuti, aliquot dolia releuarunt, dū elicerent quintam essentiam vīni, nihil proorsus deprehenderunt præter vinum adustum, quo perperam pro spiritu vīni vīsi sunt. Quæ hoc loco requiruntur, alibi in philosophia de generationibus reperiuntur. Sufficit enim admonuisse spagyrum qua ratione herbis quinta essentia insit, deniq; quæ in his sunt inuestiganda.

<sup>2</sup> Athanar est furnellus.

De Antimonio Cap. VI.

**S**icut antimonium finit aurum, sic eadem ratione, ac forma finit corpus, in illo enim est essentia, que nihil impuri cum puro confundi finit. Ne que quisquam spagyricæ artis peritus, deprehendere potis est, vim atq; adeo

64 THEOPHR. DE VITA  
virtutem antimoniij. Nam in principio  
rerum eò deuenit antimonium, & inter  
metalla, quæ aquæ sunt, sic est relatum,  
ut porro etiam diluicio exactoris huius  
genuina, atq; adeò virtus permanferit,  
ita ut se se ex influentia semper dirigat,  
neq; aliquid de vi, ac virtute nativa vn-  
quam decesserit. Merito igitur omnia  
quæ mineralium sunt, quorū summum,  
ac potissimum arcanū in se claudit anti-  
moniū, huic vni tribuimus. Mundat sei-  
psum vna cum reliquis, quæ immunda  
sunt. Porro si nihil omnino sani adest,  
immundum corpus in mundū transfor-  
mat. Quemadmodū in expositione le-  
præ habet: quæ omnia palam declarat,  
ac indicat spagyrica praxis. Sed nelon-  
gius quam par est digrediamur, & tan-  
dem ad præparandam antimoniij virtu-  
tem (cuius vel apex unus, aut iota omni-  
bus codicib. qui in nostra professione  
sunt, præstat) perueniamus, sic habe:  
Principio vide ne corrumpatur antimo-  
nium, sed totū hoc, quantum est, ac inte-  
grum maneat, citra villam amissionē for-  
mæ. Sub hac enim delitescit antimoniij  
arcانū, id quod per retortū impelli de-  
bet

bet sine omni capite mortuo, ac denuo  
in tertium cohop tertiam naturam reduci.  
Tum demum erumpit dosis eius gr. iiiij.  
quintæ essentiæ melissæ administrata.  
Huic præterea nihil tribuit<sup>a</sup> Archeus  
terræ.

<sup>a</sup> Archeus est dispositio nature.

## De Sulphure Cap. VII.

PRincipiò ardua res est, & multis no-  
minibus celebranda, tantam inesse  
vim atq; naturam terræ, quæ balsamum  
procreet, cuius est hæc natura, vt porro  
nihil putrescere sinat. At si cōsideres re-  
sinas, quarū potissima pars est sulphur,  
nihil est quod superiora laudes. In sul-  
phure balsamū est, quo de nemo nō va-  
riarū artiū studiosus meminisse debet.  
nam in eo sunt liquores balsami, q; neq;  
viuū, neq; mortuū quicquam putresce-  
re sinunt, sed corpus ita conseruant, vt  
nulla neq; influentia, necq; naturalis cor-  
ruptio, uel impressa in corpore depre-  
hendi possit. Nemo miret hoc loco tan-  
tam inesse vim in resinis terræ, neq; ma-  
iorem prædicationē huius, q; quæ balsa-  
mis sit super terram crescentis, & huius

vim atq; virtutem declarantis. Nam in his quæ occulta sunt, multò plura deprehenduntur, quam in his quæ manifesta sunt. Sic in sulphure multò plura deprehenduntur, quam in cæteris resinarum partibus. De sulphure autem, ut ad tractandi rationem perueniamus, sic habe: Eleua sulphur à colcathar, spagyrico more, idq; tantisper dum non superat ignis, id quod natura colcathar sulphuri tribuit, idem spiritus fixus est balsamus terræ. De quo hoc loco paucula admodum scribimus. Huius enim virtus experientia patet: & si aliqua degredi, quædam etiam ex resinis, cæteraq; id genus eiusdem naturæ sunt cum balsamo, tamen inter illa primum, ac optimum esse puto sulphur, &c.

## De Mercurio Cap. VIII.

**E** Lixir ex Mercurio eadem ratione qua ad transmutanda metalla adoratur, confectum plurimum valet ad pellendam mortem. Nam eius rubigo, quam Lullij sectatores falsò florem appellant, nil nisi mors est. Sicut enim magis consumit ac conterit corpus, sic rubigo.

rubigo metallum. Quicquid ergo tintura illa tingit, longæ vitæ plurimū inservit, & id ipsum tantò efficacius, ac fortius, quanto altius (absit inuidia dicto) gradu Veneris attigerit, quanto acrius etiam, ac subtilius in preparatione reiteratum fuerit. Neminem deterreant Rupiscisse fabulamēta, qui suo more temere, ac frigidè super hacre scripsit: videlicet in tinctura corporis aurum & id genus alia quæ Mercurij sunt, deniq; quicquid ex spiritu salis, aut arsenici confertum est, prorsus esse fugienda. Ad tinturā Mercurij (cuius virtus est ex subtilli acrimonía, quam à natura Archei habet) propius accesserunt Albertus, ac Thomas: in coagulatione autem nimia & gradu reiterationis, quibus totum negotium obruerunt, falsi sunt. Quanvis in adornanda tinctura eorum quiddam est, quod veræ tincturæ finitimum est, in hanc sententiam: Sicut metalla transmutantur, ac plenè figuntur, sic etiam corpus, a dñhc modum: Reduc Mercurium in eleuatione tantisper, dum in fixum crystallum abeat, deinde in resolutionem, ac coagulationem digere, &

68 THEOPH. DE VITA  
cum auro coniunge, ita ut fermentum  
eius hoc ipsum fiat. Proinde iuxta præ-  
scriptum Hermetis age usq; in finem la-  
pidis, cuius dosis est granum i. Huius  
vis, ac virtus corpus referuat integrū.

De Spiritu vini Cap. IX.

**S**Vprā vbi essentię herbarum memi-  
ni, nihil aliud nisi vinum esse osten-  
di, id qđ sic accipias oportet. Spir-  
itus vini à substantia eiusdem prodit: nā  
huius subiectio existit vinum, sicut mar-  
rubium proprij, ac nativu vini. Quare vt  
spiritum vini tanquam essentiam, quæ  
verè elixir est, habeas, sic accipe: Sicut  
persicariæ libram i. scrup. ij. vini emittit:  
Sic vini libra i. plus scrupulo i. non ca-  
pit. Reliquū est phlegma vini, id quod  
ad præsens elixir parum confert. Porrò  
inquisitio huius essentiæ, fiat ad hunc  
modum: Digere vinum pellicani infu-  
sum simo equino, idq; bimestre spatiū  
cōtinuo videbis adeo tenue, ac purum,  
vt pinguedinē quandam, quæ spiritus  
vini est, in superficie vltro eliciat. Porrò  
quicquid sub ea est, phlegma citra om-  
nem vini naturam existit. Pinguedo au-  
tem

tem sola phialæ inclusa, & per se digesta, summæ energiæ est ad vitam longā. Non modò autem ad vitā longam, sed etiam ad alia praxis illa torqueri potest, & id ipsum interuenientibus cinnamo- mo, xylobalsamo, myrobalanis, & id genus alijs in hunc modum, Confunde, ac interueniente digestione ita coniunge, vt elixiro, quo de hoc loco mentionem facimus, auroq; adiuncto medicina adormetur, quæ omnem contractionem tollit, ac membra resoluit.

## Extractio Mummie Cap. X.

**V**irtutum verò ex mummia extractio, magistraliter, vt eo verbo vtar, fit per commiſſionem eius cum eſſentia vini, ex chelidonia quidem ſumpti, nempe, ſi ad decem viç dies ſic di- geres, in quinç autem diſtilles. Porrò verò digeratur ex integro rurſus, eð uſque quo ſe mummia in liquorem verat, quo facta tā ſuperno, q; infeſto, ſeparatis nempe ſeorsim à medio, addat huic ſedecima pars balsami de lignis, terreq; ſigillatę pauladadi pondus duo decimū, ac tantundē horizontis liquo-

ris: digerantur simul ad suum mensis spaciū, quo conclusum ita sese reuerberet. Hoc enim pacto in summum usque gradum ascēdit. Quod quidem eorum omnium quae venenis dominantur, potentissimum atque efficacissimum est.

*Satyrionis extractio Cap. XI.*

**Q**uicquid autem ex satyrione elicī debet, per separationem fiat necessum est. Vis nanc̄ in satyrione delitescit Saturnina, quae quidē clam virtutem, qua de gloriari satyriō debebat, suffuratur ac debilitat, fitque sic eius exaltatio triginta granis minor. Quò fit, ut non raro opem usurpatus deneget satyron. Quare in eius separatione considerari operæ premium est, ut non forma quidem, sed virtus duntaxat separetur, id quod in hanc sit sententiam: Indigeratur in pane siliginis satyron, idque ipsum in ventre equino ad suum nempe mēsem, quo peracto, ipsum quidē ē pane excipe, abiectis quippe fecib. Deinceps sanguinem satyrionis probè digeri, despumarique finito, quo sedato, tūdum medicinam nactus es, quae cāte-

tas omnes quæ ad conceptionem atti-  
nent, facile post tergum relinquant.

## Extractio primi metalli Cap. XII.

**P**er primū metallum summę atq; a-  
deo præcipua flunt cōseruationes  
corporis, neq; tamen ex natura pro-  
priæ suæ confortationis tam est efficax,  
sed potius ex virtute mineralium, quæ  
in se continet. Nam vt vitam longam  
cōserues, ex principe mineralium hoc  
proficiscatur necessum est, quandoqui-  
dem mineralia physicū corpus existūt.  
Atque hoc temperamentum illud est,  
quod solum atq; vnicum corrosiuis resi-  
stit, operaturq; tam per chīmicum, quā  
archaicum ares, quin etiam robustissi-  
mum quodq; corpus cum debilissimo  
temperat in vno gradu. Robur siquidē  
præter roboris ares perinde est, atq; de-  
bilitas infra gradum ares roboris exi-  
stens: firmiori quidem adimit, quod im-  
becilliori præstet, ac vtrumq; in mediū  
tandem redigit diametrum, id quod in  
hunc modum sit: Līquorem corallinum  
accipito, eum nempe qui probè diaphi-  
nus existat, cui adiunge eius quidem vi-

trioli, quod est ex Venere, quintam partem: digerantur in balneo maris ad mensum suum. Hoc enim pacto separat se vicinum metalli primi in summitatem, certum quicquid de fecibus vini est, vitriolum Veneris occupat. Sic ergo sit primus ille metallus, perspicuum, diaphinum, ac rubinum planè vinum, cuius praecipua virtus, ac potestas in omnibus est minneralibus totius physici corporis.

73  
DE VITA LONGA LI-  
ber Quartus.

C A P . I



Edne in vita longa q̄c  
quam silētio præterea  
tur, in hoc libello obser-  
uari conuenit, quòd in  
tra testam, vltra etiam  
quintum illud esse, con-  
clusum est aliquid, ex quo coniunctio  
quædam cū corporalis, tum eius quod  
præter corpus est, extra quintum illud,  
in longam vitam corpus producit. De  
quo sic habe: Nihil planè esse, ac inuisi-  
bile; in ipso tamen corpore eximium,  
quod non microcosmico solum corpo-  
ri longā vitam præstat, sed etiam ipsum  
Dardo in trigesimum annum vscq̄ inten-  
grum conseruat, ipsumq̄ Anthos ac in-  
signem illum cheyri vscq̄ in tertiam cu-  
stodit ætatem. Hoc nanq̄ cum Anthe-  
ras, ac folia sustentet, quanto magis cor-  
pus sustentabit microcosmicum, quod  
per vniuersam quatuor elementorū a-  
natomiam perdurare in sua conserua-

74 THEOPH. DE VITA  
tione debet. Quocirca in hac quidem  
positione notandum medicio est,  
quod vniuersa quatuor elementa, ana-  
tomia in vnicam microcosmi anatomiam  
contrahi debeat, non autem ex corporali,  
sed potius ex eo quod corporale con-  
seruat, quod quidem supra quintum il-  
lud, cum hoc, tum reliqua quatuor su-  
stentat. Et si nomenclaturam ei iustum,  
ac veram dare oporteat, balsamum ipsum  
vocare, ex quo vita conservatur iure pos-  
sum, qui se a corporis balsamo iure sepa-  
rat, & talis est balsamus, qui ipsam quo-  
que naturam antecellat, id est ipsum ta-  
men per corporalem operationem.

C A P. II.

**P**orrò eius quidem balsami, quo de-  
iam dictum, qui longam exhibere  
vitam debet, declaratio duobus modis  
fit: Vno qui eiusmodi virtus clam, &  
à casu accidens ex eo sequitur, quod ple-  
risque longa quidem vita tribuitur, qui ta-  
men ipsam qualis in se est, agnoscunt mi-  
nimè. Alter autem modus per artes fit,  
eis nempe qui illam ad ipsi coiunctio-  
nem possunt, neque tamen id ipsum fieri  
citra

citra medium aliquod potest. In hoc enim plane sita est rei summa, quod in eo Iliastro, cum longa, tum breuis etiam vita reperitur. Nam quae herbis adiuncta est, terminum suum habet. Similiter etiam suum habet terminum, quae mineralium est aquae, eodem modo <sup>b</sup> There niabin quoque, nec dissimiliter & <sup>c</sup> Nostoch. Præter tamen hæc omnia, talis ac tanta ipsius est coniunctionis vis atque potestas, ut omne id quodcunque ex quatuor elementis productum fuerit, supra primum illum terminum suum conservetur, & is est terminus iliastri. Quo quidem etiam superatum volumus, subtilem illum virum, qui terminum transgredi non posse ait, quod quidem sin minus fuerit, ac transgrediat, fieret hoc vel in altero saltem. Eorum namque sunt duo, quorum alter quidem transgredi nequit. Est enim terminus in microcosmi naturam positus: alius autem etiam in naturam elementorum, alius vero in quintam essentiam quoque, præterea & alius ex ultimo Iliastro. I quippe termini in medici potestate consistunt, qui in his mutare pro suo potest arbitrio quod vult, præter

76 THEOPH. DE VITA  
lum fixum, vbi finem vnā cum suūpsius  
quocq; mutatione expectare ipsum o-  
portet.

- a Iliastes est prima materia, ex qua omnia ortum  
habent.
- b Thereniabit ex aere procedit.
- c Nostoch est species ignis.
- d Omnia in terminum creata, & Medicus, et Me-  
dicina.

C A P. III.

**H**Vnc itaq; iliastrum ad eum modū  
intellige, quandoquidem hīc tri-  
plices preter quintā essentiam virtutes  
reperiūtur. Est enim iliaster sanctitus, al-  
ter vero iliaster paratetus: tertius aut̄ ilia-  
ster ille magnus. De priore sic accipe:  
Quod sanctitus ille longam vitam præ-  
stat, idc̄ secundū eius qui ipso vtitur, in-  
dustriam: alter vero id ipsum dispensat  
iuxta fauorem. Sed tertius illæsus, citrā-  
que noxam in vita longa consistit. Hinc  
igitur iliastrum hoc in loco comprehen-  
sum expende, quod primus, secundus,  
& tertius simul omnes microcosmo  
subditi sunt, ita ut in unum eos gamony-  
num redigere possit. Alter vero cogi-  
tur nequaquam, sed quemadmodum fa-

uo-

uori cōuenit, acquiritur. In tertio perinde  
de habet, ut in Enochdianis ac Helieza  
tis non secus, atq; de aquastro patet. Pri  
mum itaq; ex elementis suā ducit origi  
nem, veluti testa concludit, ipsisq; arca  
nis supra quintū esse attribuitur. Secun  
da verò magnalibus ascribit. Et tertius  
ex proprijs specificis suis. Ex quo sequi  
tur terrelatos nymphidicas, aerdados,  
soladinos longā vitā suā accipere singu  
los in aliena essentia. Illius. n. tertij illiastris  
mors est, & tempus, & arbitriū: isq; est,  
qui spicæ vltra, quam ipsa quoq; per se  
natura ferat, tribuit, quin & myrrhæ fra  
grantiam roburq; in leris. At qui vt vt se  
se hæc habeant, considerandū medico  
est, vt eiusmodi coniunctio non dissi  
milimodo contingat in corpore, nem  
pe quemadmodum arbor maris, semel  
fixa, atq; adeò sui iuris ab illo facta est,  
fususq; cheyri probatus ac constans: sic  
per eandem coniunctionem in micro  
cosmo idem quoq; potest fieri.

## Cap. IIII.

**C**Aeterum de primo illō illiastro, q  
pacto se habeat in hunc modum

78 THEOPHR. DE VITA  
accipe, quod eius ultra mille sunt specie-  
es, non tamen quod aliud præcellat a-  
lio, verum potius iuxta hoc, ut quilibet  
microcosmus peculiarem suam, atque a-  
deoperfectam coniunctionem habeat,  
quilibet, inquam, utrinque perfectam suam  
ac propriam virtutem. Tanta si quidem  
est iliastris virtus ac potentia, ut per eum  
corpus quidem mortuum conseruetur  
vixit, in eo nempe, quo primus ille ter-  
minus transmutatur. Quæ quidem vi-  
tae longæ conseruatio supra vires no-  
stras existit, non autem præter vires su-  
periorum: fitque sustentatio eius ad hunc  
modum, quod vitam longam tribuit, ci-  
tra tamen expulsionem morbi: vitæ qui-  
dem præstat, non autem bonam valetu-  
dinem: nonnunquam vero & utrunque.  
Sed eiusmodi quippe vita longa, que  
ab illo proficiscitur iliastro, annuatim  
quidem durat, ac propagatur: ut alij qui-  
dem in decimum usque annum porrigi-  
tur, qui in quinto obiisse debuerat, alij  
in vigesimum, qui in decimo. Similiter  
in quinquagesimum, qui in trigesimo:  
nonnullis in octuagesimum, qui in quin-  
quagesimo: alijs in centesimum, quos  
in

in octuagesimo, vel septuagesimo vita  
oportuerat esse functos. Maximum au-  
tem in centesimum, ac vigesimum. Alij  
verò in tertium, quartum, vel quintum,  
& sextum (sicç deinceps indifferen-  
ter) vscç diem, ultra suū terminum pro-  
longatur: id quod vniuersum tum ex su  
periore, tum inferiore cōiunctionibus,  
perinde atque hæ duæ conueniunt, ac-  
cidit.

## C A P. V.

**S**ed de vero illo iliastro sic se res ha-  
bet, quod eiusmodi quid citra, vel  
significationem, vel necessitatem  
quandam erga maiorem illū iliastrum  
fieri nullo pacto potest. Quod quidem  
in hanc sententiam intellige, iliastrum il  
lum eiuscmodi vitam longam iam iam  
producturum, præstare id minime gen  
tium posse illic, vbi eius vitæ longæ lo  
cus nullus est. Quare obserua, tale quid  
non nisi cum transmutatione tam loci,  
q̄ elementorum fieri, sicut nempe: Quem  
admodum quatuor elementa in testa  
mortalia sunt, omni momento nouam  
confidentes generationem, morti eam

exhibent. Sic è regione alia quoque  
est in suo firmamento fixa atq; adeò in-  
conclusa perdurans, quæ nec morbum  
causatur, nec mortem. Quia de re sic phi-  
losophari licet: Quòd spiritus illi fixi ni-  
hil planè interire sinunt, quorum longa  
vita immobilis est ac firma usq; in trans-  
mutationem eorundem, rursusq; in pri-  
mam. Similitudo siquidem ex testa su-  
mitur, quòd secundum fixationem (vt  
sic dixerim) firmamenti, longa vita in v-  
no quidem confirmamento prolixior  
est, quam in alio: tametsi ad primum so-  
lummodo terminum singula attinent.  
Veruntamē eiusmodi transmutatio-  
nem nonnulli quoq; comitantur inco-  
lae (sic enim vocare libet) in decimā, vel  
duodecimam usq;. Quorū mors in de-  
structione quidem sequetur magni il-  
lius firmamenti, quando utrāq; corpo-  
ra tam cœlestia, quam terrestria cōmo-  
uebuntur, quin & supercœlestia quoq;. Quanquam hoc citra naturę discrimin-  
fit. In prima namq; minuta, quando eius  
modi mutationes accidunt, naturæ or-  
ditur putrefactio, fitq; superstite, ac vi-  
uente adhuc corpore proprio.

## C A P. VI.

**V**T autem porrò id quod maximum  
necessariū est in hoc processu er-  
ga iliastrum, describamus: Principio ut  
impurum animatum depuretur citra se-  
parationem elementorum, quod fit per  
tuām ipsius imaginationem, cùm ea in  
animi tui confirmamento consistit, præ-  
ter omnem corporalē ac mechanicū la-  
borem. Quæ quidem dispositio ex eo  
contingit, quod sese homo gradatur in  
animo, ut æqualis reddatur enochdia-  
nis. Non quod enochdianam agere vi-  
tam cupiat animo tamen ab ea per dia-  
metrum distet. Quare microcosmum  
in sua interiore anatomia reuerberari  
oportet in supremam usque reuerbera-  
tionem. Per hanc enim reuerberatio-  
nem sese impurum consumit: fixum au-  
tem, quod ab impuro destruitur, si-  
ne ferragine permanet. Nec tamen i-  
gnis est cui salamandrīna adesse possit  
essentia Melosinicūmue Ares, sed po-  
tius retorta quedam distillatio ex me-  
dio centri, supra omnes carbonum i-  
gnes. Facta autem eiusmodi reuerbe-

ratione in ultimo quidem termino fulmen exhibet physicum, non secus atq; separant sese ab inuicem Saturni fulmē, & Solis. Itaq; quicquid per hoc fulmen incedit vitæ longæ est, magni nimirum illius iliastrī. Atq; hæc quidem fulminatio, & præcedens eius reuerberatio nihil quidem ponderi adimit, sed magis turbulentia corporis, idq; ex colorum diaphinorum ratione.

## Cap. VII.

**P**Ræterea verò ab iliastro primæ potestatis eiusmodi vita longa non est. Inferiorem. n. gradum præbet. Sed istamen est, qui eo in loco separat, & perinde ut res fixa nō fixam seruare potest, à morte microcosmum defendit: Quandoquidem eius operatio nō est ut separet, verùm potius, ut per arcana illa perspicua indigestum vincat, quò minus succedat eius perditio: Similis ei, qui mala bonis superat. Velut mūmia, quæ vñā cum corpore à partu procedit, ipsa quidem per se bona, corpus autem malum, ac putridum. Quancunq; igitur vitam corpus viuit, ex sola viuit mūmia.

mia: proprium enim eius ac natuū est,  
vt putrefacat, rursusq; in sterlus, cuius  
membrum est, abeat, id quod continuū  
eius studium est. Cæterum mummia  
non item: nequitiam enim illi suam fran-  
git, aq; suo ipsum proprio conseruat ar-  
bitrio, quo minus id quod conatur alio  
quando efficiat. Quamobrem sic sonat  
eius receptum, quod mummia super-  
coelestis microcosmū plus, quam pro-  
pria eius mummia sustentat. Quoties  
enim mummia, toties item aliis termi-  
nus: tametsi neque tempus, necq; nume-  
rus in huiusmodi terminis repertus est:  
perdurat enim eò usque quò secundam  
euitare generationem non potest am-  
plius: nam in hoc peritus esse physicus  
debet, quòd quælibet prima materia, ul-  
timam quidem expellat. Quare genera-  
tio verium hīc orditur, vbi ultima ma-  
teria physici corporis sese ostendit: hīc  
igitur illastrum obserua, quòd veriuū  
generationem non modò non destruit,  
verùm etiam cùm earum adsit materia,  
generationem ne impedit quidem,  
quā tamen præuenire mummia debet.

**A**D horum omnium cōclusionem, principiō nota q̄ naturalis munītia ex tribus illis anatomījs componi debet, quo peregrinus microcosmus, physicum corpus gubernet, id q̄od ex trinsecus fieri necessum est, siue per elementum aquæ, velut per eius metalla, sallia, & id genus: seu per elementū terræ, vt per eius herbas, siue boletos, aut in thereniabin, vel<sup>a</sup> nostoch: nam hæc omnia mansiones sunt rerū supercœlestiū. Quamobrē nemo miret, quòd ingentes passim melissæ virtutes describuntur. Quando enim in hac supercœlestis cōiunctio seſe vnit, quis virtutem ei quantumuis extimam abneget? Atque hæc quidem sunt magnalia, quæ in se Bamahemī quoq; continent, atque is planē iloch est, qui ex vero compositus anādo, eidem elementato adimi nullo pacto potest, id quod sit per exaltationes vtriusq; mundi: perinde atq; vrticæ exaltationes adurunt, nitetq; ac splendet flammulæ color. In huiusmodi tamē exaltationib. virtus eorū traduci in aliud

potest. Ad hunc igitur modum dignoscere exaltationes discite, quæ vrtica lōgē potiores existunt, idq; ipsum, vt in vero Maio, vbi Aniadorū exaltationes ordiuntur, easdē colligatis. Nec enim virtutū exaltationes in<sup>b</sup> matricibus dū taxat sitæ sunt, verūm etiam in supercœlestibus. Vulgarisquippe ac velut nihili Idæus is esset, qui vnā solummodo rem visui subiectam, fabricare nosset, nec præter ea quæ tangi possunt, creasset maiora quædam. Enim uero aliū quendam Maium construxit, vbi se flores exaltant supercœlestes, in quo extrahi Anachmus debet, ac seruari, non secus ac que muscus in pomambra, & sicut aurum virtus in Laudano delitescit: cuiusmodi quidem Anachmi virtutes quando colliguntur, tum demum de longa vita lætari meritò potes.

<sup>a</sup> Nostoch est species ignis,

<sup>b</sup> matrices, clementia.

DE VITA LONGA LIS  
ber Quintus.

Cap. I.



Vprà in primo libro fundamēta ieci vitæ longe, ea hoc loco ab soluemus. Non enim video, cur ea quæ ad integrum vitam, atq; adeo sanam pertinent, hīc denuo repeatam. Cūm in superioribus libris, secundo & tertio, de his à nobis satis abundē dictum sit: Quare in hoc quinto lib. supremam manum imponam his quæ suprà in primo libro, de ea quæ præter naturam est, vita, incepimus: & id ipsum pro ratione theorica. Principiò propnímus vniuersis spagyricis, cùm Adæ, tum Mathusalem ætatem, id quod in se cundo capite sequenti indicabitur. Antequā tamen ad illa perueniamus, prius de vita longa quæ in manu illius maximi iliaſtis est, exactè dicemus, idq; pro ratione magnalium. Vbi plurima de libero arbitrio accipiēda esse admoneo, quam

quam quę nos ex elementis administra  
re possumus. Hęc, vt clarior ac rudiū  
pateant, principio oportet fingamus  
Enochdanosi, quam influentiami, si in  
mente nostra, perinde ac ignē in ligno,  
non sine vulgari virtute, gesserimus, fie  
ri potest, vt ad hanc vitā perueniamus,  
vel nullo negotio: id quod exemplo Io-  
ha in etis palam fit, cuius natura, neque v-  
nam etatem solūm, neque seculum vnum  
duntaxat cōprehendit. Sed in his meis  
paramyricis libellis præbeam calumni-  
andi ansam his, qui scripturas variè tor-  
quent, nihil certi hoc primo capite desi-  
niemus De vita summi iliaſtis: num h̄c  
in corporalibus elementis sit, aut porrò  
etiam in quinto viuat, vbi nullū corpus  
occurrit, vbi non modò non, quibus de men-  
tionem fecimus, viuunt, sed etiā non quos  
somno sepultos credimus. Hęc, inquā,  
omnia sublimioribus spiritibus tanti-  
sper existimanda relinquimus, dum in-  
frā ad illa venerimus. Porrò si impelle-  
tur iliaſtes ille summus, aut aliquo saltē  
haberet opus, facile est, quicquid esset  
Enochdianum perueniret, vbi vniuersa  
vita nostra longa suis locis in æthere, ac

nubibus collocaretur: Sed semel satius  
ravit se iliastes, ut porrò non careat, ne-  
que aliquo habeat opus. Quare in hoc  
lib. vltimo singula pro ratione primili-  
bri tractabimus.

## Cap. II.

**S**ed ut tandem ad finem deducam  
us ea, quæ de vita longa tractare  
incepimus, principio indicabimus  
quid vita longa sit. Terminus vitæ lon-  
ge complectitur in se 1000. aut 900. aut  
ad minimum 600. annos. Desaturigi-  
ne autē huius, quæ præter naturam est,  
vitæ, sic accipe. Duæ sunt in hominis  
potestate vires, una naturalis, qua de di-  
ctum est usq; ad natuum finem. Alia ae-  
ria, in hac enim nihil est corporale. Qua-  
re incorporalia hunc nostrum libellum  
absoluunt. Miseros hoc loco mortales,  
quibus primum, ac optimum thesa-  
rum (quem nature monarchia in se clau-  
dit) natura recusauit, puta, naturæ lu-  
men. Ne porrò in hac laboremus fru-  
stra. In philosophia autem, quia desinat  
acabit natura aniadum, recordabimus,  
neq; porrò mentionē faciemus philoso-  
phiae.

phiæ. Missas igitur faciamus res naturæ  
les, missa etiam facimus quæcunq; sunt  
ex elemētis, insuper etiā gesta helisimi-  
dan: deniq; quæcunq; suprà diximus,  
quæ sub chao, id quod summus iliastes  
existit, delitescunt. Et in manus ea, qui-  
bus de mentionem in 1.lib. facere cœps,  
tandem accipimus. Ut igitur ad annū  
Aniadin, aut etiā vltra perueniamus, ob-  
seruandæ sunt regulæ sequentes. Nemí  
nem offendant, quæ hoc loco de Nym-  
phidida dicturi sumus, quo loco simul  
indicabitur vis, ac natura guarinorum,  
saldinorū, deniq; salamandrinorum, &c  
quicquid est melosynæ. Porrò si quem  
præsens locus abalienaret, neminē of-  
fendat, sed potius finem huius opusculi  
adeat, vbi singula videbit.

## Cap. III.

**S**ed ut simul innotescat, cum locus,  
tum corpus in his rebus, quod cer-  
ta quadam concordantia ordinari  
debet, ac disponi. Principiò obseruāda  
est soli natura, qd' iliastis est: nam aliud  
ab 300. usque ad 600. annos conser-  
uat id quod ad eos codices relegamus,  
qui tractant de natura elementorum,

Porrò quicquid ex sui natura simul etiā loci naturam admittit, haud dissimiliter priori seculo in vnam conclusionem cogitur. Vbicunque verò coeunt, cum loci, cum corporis natura simul illic vel nullo negotio peruenitur ad 600. annum: Quorum aliquot, qui istuc etatis attigerunt cōmemorare possem, nisi alio properaret calamus. Sunt præterea qui aliquandiu clām, atq; adeo furtim sunt seruati, idq; per vitam longam. Quorum ratio, quia nulla, nisi quatenus iliaſti tribuerunt, & hoc loco prætereundū censeo. Sic quicquid nō est aeriae vitæ, hoc loco tollitur. Sequuntur ergo qui vitam aeream vixerunt, quorum alij à 600. annis ad 1000. & 1100. annū peruenierūt, id quod iuxta prescriptum magnalium quæ facile deprehenduntur, ad hūc modum accipe: Compara<sup>a</sup> aniadum, idq; per solum aera, cuius vis tanta est, ut nihil cum illo commune habeat terminus vitæ. Porrò si abest iam dictus aer, erum pit extrinsecus id, quod in capsula delitescit. Iam si idem ab illo, quod denuo renouatur fuerit refertum, ac denuo in medium perlatum, scilicet extra id sub quo

quo prius delitescebat, imò adhuc delitescit, iam vt res tranquilla prorsus non audiatur à re corporali, & vt solum anima dum adech, deniq; & edochinum resonet. Porrò etiā hæc tria, & quod in hæc tria vergit, non quatuor, sed vnum sint, habebis longissimam vitam delitescentem. Hinc est nativitas magni illius aquastri, qui præter naturam natus est. Hoc & si id quod extrinsecus erat, nequamquam deprehendere potuit: tamen hic prebuit occasionem id quod extrinsecus illiastes fuit, &c.

## Cap. IIII.

**R**estat adhuc in hac monarchia, cuius nos magnus ille senio maximo pere commonet facit, videlicet longe a liam esse vitam ab ea, quam nos plenè præscripsimus: quæ tunc alia nos perstringet, cū singula transibunt, qui calcat, & qui calcat, nihilominus tamē vtraque manebunt, id qd' nō satis intellexerunt hec tenusaliani. Tum demum erit quando simul omnia desinent, quæ vna me cum indagasti, iam inde à primo ad no uissimum usque. Sed par est, vt semel e-

tiam probemus ea quæ tractare incepimus, idq; non philosophica ratione, sed essentia ipsa, quæ vel sola hoc loci cuius meminimus plurimū valebit. Hoc loco quo de plenē loquimur, miraberis forsan, ac quæreris, Num vita sana possit esse coniuncta cum vita longa. De hoc igitur hæc paucula notato. Duplicē esse essentiam, alteri sanitatem & fixam: alteri ægritudinem & similiter fixam inesse. Quod autem ad locum & immutationes istorum attinet nihil prorsus immutamus. Porrò quorsum attinet frustra his immorū, quæ nobis lumen naturæ recessauit. Præterea ille, qui ex animi libidine nobiscum agit, indicat, ac rursus hiantes nos deserit. Quare hoc locopre teribimus, quæ vires nostras superant, & creaturas aliquot, vitæ mirabiliter longæ, & eas sine fato commemorare incipiems. Inter quas sunt Laureus, Siconius, Hildonius, & aliij pleriq; quarum nativitatem, siue mortem naturalem nemo vñquam neq; deprehendit, neque audiuit. Adde naturam & essentiam illarum, & quotumquæq; reperias, qui vel apiculum de his scripsérit: quanquam paramy-

paramyrica scripta nonnihil de his ha-  
beant: tamen sicut semel hoc fuit, ac rur  
sus desijt, ita etiam vna intellectusabijt.  
His igitur concludimus, quicquid est  
vitæ longæ, idq; extra necrolicas, quem  
admodum in sequentibus patebit.

## Cap. V.

**N**on pili fecerim eum, qui sub Lul-  
lianis artibus se falsò, vt necro-  
lium venditat, & improbat id, quod in  
quatuor Scaiolis comprehēuditur, &  
me vt summum Scaiolam prædicat, ita  
vt pro ratione cedurinorum possim a-  
doriri necrolias artes. At ego vel hy-  
dros Scaiolis vna cum æmulis inuideo.  
Quid dicam hoc loco de his, que Musa  
sagax in canonibus suis vna cum narco-  
ticis quatuor Scaolarum complecti-  
tur, quæ vobiscum indormiscunt, tym-  
poraq; in vobis Anodynica reddunt.  
Et ego vos etiam atq; etiam in tantum  
stuporem adduco, vt in notitiā papaue-  
ris redigamini. Sed missa facio illa, & in  
hoc solū laboro, qd in superiorib. lib.  
hactenus móui, in cosmographica scili-  
et vita, vbi cū locus tū corpus lesahach

apparent. Porrò etiam quæ præscribo,  
præter loci ac corporis vires, idq; spa-  
gyricæ præscribo, hydromanticæ, & py-  
rotenchans. Sed quid attinet hæc com-  
memorare vobis omnibus, quorum ne-  
nomina quidem notis: qui & si necro-  
lios agitis, & in cyphanto nonnihil ex-  
pertis, tamen indormiscunt pulsatiles.  
Hæc omnia ego absolui, ea quisquis in-  
telligit, ; optimo iure se spagyrici nomi-  
ne venditet, ac tum demū quintū cap-  
ediscere laboret, in quo me plurimum  
offendunt Scaiolæ. Nam in his nulla in-  
est mortalitas. Sub hæc igitur conclu-  
do totius rei summam, & affirmo eum  
esse immortalem, quicunq; pro ratione  
Scaiolarum vixerit, id quod per enoch  
dianos, & sui sequaces probo. Neque  
hunc locum infringet aqua ster. Porrò si  
pro ratione Necroliorum Scaiolis inse-  
rerer, esset quod excipiendum ducerē,  
id quod maximus ille Adech anteuer-  
tit, & propositum nostrum, at non mo-  
dum deducit: Quod vobis Theoricis  
discutiendum relinquo. Atq; ad hunc  
modū abiit è nymphididica natura in-  
teruenientibus Scaiolis in aliam trans-  
muta-

mutationem permansura Melosyne, si  
difficilis ille Adech annuisset, qui vtrum  
que existit, cum mors, tum vita Scaiola  
rum. Annuit præterea prima tempora,  
sed ad finem seipsum immutat. Ex qui-  
bus colligo supermonica figmenta in  
cyphantis aperire fenestram. Sed vt ea  
figatur, recusant gesta Melosynes, quæ  
cuiusmodi sunt, missa facimus. Sed ad  
naturam nymphidicam. Ea vt in ani-  
mis nostris concipiatur, atque ita ad an-  
num aniadin immortales perueniamus  
arripimus characteres Veneris, quos &  
si vos vnâ cum alijs cognoscitis, mini-  
mè tamen usurpatis. Id ipsum autem ab  
soluimus eo quod in prioribus capitib.  
indicauiimus, vt hanc vitam secure tan-  
dem adsequamur, in qua aniadus domi  
natur ac regnat, & cum eo, cui sine fine  
assistimus, permanet. Hæc atq; alia arca  
na, nulla re prorsus indigent. Et in hunc  
modum vitam longam conclusam relin-  
quimus.

Theophrasti ex Hohenheim, li-  
brorum quinque de vita  
longa finis.



PIO LECTORI SA-  
LVTEM ADAM A BODENSTEIN  
Philosophiae & Medici-  
næ doctor.

**C**andide lector, neminem la-  
tere arbitror quam male diui-  
nus ille philosopus, & medico-  
rum celeberrimus Aureolus  
Theophrastus Paracelsus, nō solū a-  
pud exteris, verūm etiam suos, nem-  
pe Germanos hucusque audierit, ob  
peruersum imperitorum iudicium, qua-  
si talis esset, qui multa scriberet, nihilque  
sani doceret, multaque medicamina in-  
medium proponeret, quæ hominibus  
plus damni quam incommodi inferrēt.  
E quorum numero laudanū eius à mul-  
tis hactenus quasi perniciosum & pla-  
nè exitiale medicamē minus dextre dif-  
famatum est. Proinde ad liberandum  
ipsum Theophrastum & eius laudanū,  
summa laude dignissimū ab hac calum-  
nia, vt omnes sani iudicij videant, ac in-  
telligant illud ex veris fontibus arcana-  
rum naturæ & medicinæ productum,

His Theophrasti de vita longa libris annectere formulam eius volui, quo bonis medicis sit frigi, insipientibus vero, probro & admonitioni, ut in posterum quod non intelligent, vituperare desinant. Addidissem sane certissimum summumque remedium contra omnia venenorum genera, non solum vegetabilium, verum etiam animalium, mineralium, metallorum, & microcosmi, sed eam ob causam distuli, ut videam quam gratum erga Theophrastum nostrum sis ostensurus.

*Descriptio Laudani, quo usus est in deploratis dissolutisq; morbis, ita habet.*

Accipe orizei foliativnciam,  
margaritarum non perforatarum  
vnciam semis,  
florum antimonijs,  
asphalti, singulorum drachmam,  
croci orientalis drachmas tres,  
myrrhae Romanae,  
aloes succotrinana ad pondus omnium reduc ad formam.

Dosis a granis quatuor, vel septem  
ad decem vscq;

*Est & aliud Laudanum contra febres  
præstantissimum quod  
accipit.*

*Antimonij præparati libram,  
Sacchari candidi libram medicina-  
lem,*

*Fiat puluis subtilis, Destilletur in are-  
na aut balneo iuxta artem. Huius olei  
accipe vncias duas,*

*aloe succotrinij vnciam,  
ambræ vnciam semis,  
crocij selectissimi drachmas sex,*

*Reducantur successione in massam, fiat  
pilulae paruae, dentur tria cum conserua  
boraginis ante accessionem febris, in-  
ducaturque sudor, si fieri potest.*

*His lætare, fruere in laudem  
Iesu Christi, &  
Vale.*

# ERRATA IN DEDICATORIA.

Litera.Folio.Pagina.Linea.

<b>A</b>	6	2	19	naturæ
	10	2	20	unquam
<b>B</b>	2	2	2	nec huiusmodi
	10		4	etiam dicto redundat
	7	2	20	quod Deus
<b>C</b>	1	2	18	Discedit à proposito
	4	2	4	argumentamur
	5	2	11	duplicem
<b>D</b>	2	2	2	qui
	3	2	17	scripta

Numero libri primi.

5	2	Elixir
10	21	Archeo
6	23	ex Archeo
2	12	herina celatur
8	18	redigendum
9	3	præciprolo
16	17	iudicabit physicus
19	20	se, redundat
22	20	hominem postremum
23	6	matoris
24	14	quam
30	21	Archeus
26	15	Syrus
31	16	sub lunaria
60	19	rationibus

Folio. Linea.

39	13	instrumentis
40	14	imposita consolidat
42	4	apostemata
43	21	confundit
45	3	athanar
47	1	cancro
50	20	lasciuum
50	22	igneus uir nudatum
52	11	confossa
53	20	simoniam
50	22	kist & kib
56	16	amethysti
50	17	naturæ, margaritarum
58	23	à corpore
74	2	medico
78	10	ille

ဘဏ္ဍာ	၁၇	၂၃
ဘဏ္ဍာ	၂၃	၂၉
ဘဏ္ဍာ	၂၄	၂၅
ဘဏ္ဍာ	၂၅	၂၆
ဘဏ္ဍာ	၂၆	၂၇
ဘဏ္ဍာ	၂၇	၂၈
ဘဏ္ဍာ	၂၈	၂၉
ဘဏ္ဍာ	၂၉	၂၁
ဘဏ္ဍာ	၂၀	၂၁
ဘဏ္ဍာ	၂၁	၂၂
ဘဏ္ဍာ	၂၂	၂၃
ဘဏ္ဍာ	၂၃	၂၄
ဘဏ္ဍာ	၂၄	၂၅
ဘဏ္ဍာ	၂၅	၂၆
ဘဏ္ဍာ	၂၆	၂၇
ဘဏ္ဍာ	၂၇	၂၈
ဘဏ္ဍာ	၂၈	၂၉
ဘဏ္ဍာ	၂၉	၂၀

